REGIAE

CONSTITVTIONIS,

Ad curiarum Præsidalium autoritatem pertinentis, breuis & dilucida expositio,


ANTONIO VSILLO DOCTORE Regente Montispessuli autore.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.
M. D. LVI.
Cum Priuilegio Regis.

Extraict du Priuilege du Roy.



AR GRACE & priuilege du Roy est permis à Guillaume Rouille, Libraire de Lyon d'imprimer, ou faire imprimer vne foys, ou plusieurs vn liure intitulé, *Regiæ Constitutionis ad Curiarum Præsidalium autoritatem pertinentis, breuis expositio, Antonio Vsillo Doctore Regente Mompessuli autore.* Et defendu à tous Libraires, Imprimeurs & autres, de ce Royaume de n'imprimer, ne faire imprimer, vendre, ne distribuer autres que ceux qu'aura imprimé, ou faict imprimer ledict Rouille, dans le temps & terme de dix ans, à compter du iour & datte de la premiere impression: sur peine de confiscation des liures & d'amende arbitraire. Et veut & entend ledict Seigneur que par l'insertion qui sera faicte à chacun desdicts liures, & les defences & inhibitions cy dessus leur soyent tenues pour signifiees, sans que ledict Rouille soit tenu les faire signifier particulierement. Donné à Sainct Germain en Laye le neufiéme de Septembre, mil cinq cens cinquante cinq.


Par le Roy, le Seigneur de Passy, Maistre des Requestes ordinaire de l'hostel present.

Signé Fizes,

Et seelé du grand seau en cire iaune à simple queuë.

Hunc coluêre pater tibi chari Bacche Cadurci,
Pandit vbi indigenis iura ſeuera tuis.
Hunc modò formoſis Mompeſſula clara puellis
Vendicat & medicis vrbs celebrata viris.
Vſillum medicum medici ſtupuêre: clientum
Perſonat Vſilli ianua pulſa manu.
Ardua dum reſerat legum ſancita, iuuentus
Vſilli docto pendet ab ore frequens.
Qui mare, qui terram inquirit, cœlúmve profundum,
Naturam, aut ſummi myſtica ſacra Dei,
Hebræus, Græcúſque loquax, victórque Quirinus,
Vſillum proprium certat habere ſibi.
Iam non illorum, ſi quæ tibi ſcripta parauit
Perlegis, ipſe tuus ſed mage, Lector, erit.

TABVLA CAPITVM HVIVS VOLVMINIS.



IOANNI BERTRANDO, MAGNO GALLIARVM NOMOPHYLACI, & Conuenarum Episcopo meritissimo, Antonius Vsillus S. D.



CIO *ipse, quàm plurimos bonitatis naturæ inimicos sæpe miratos fuisse, illustrissime* Procancellarie, *& nostri* Principis *summam potestatẽ, qua præfulget in condendis legibus, reuocauisse in dubium, cùm iussu principali & consilio aliorum* Procerum *illam legem præclaram edidisses de* Magistratibus *Præsidalibus, quæ tam sanctè vestra omnium prudentia excogitata est, & hominum naturæ vtiliter inuenta, vt nullus locus litibus vanis, aut potius perniciosis, fuerit relictus.* Nos *autem frequentius, cùm per atria* Parlamentorum *circuncurreremus, infinitos aceruos litium videbamus inchoatos, quarum decisioni vix quæcunque ingenia humana sufficissent.* Ideo *subsistebamus, magno animi dolore fracti, quare* Genius *aliquis bonus superioribus annis* Reges *nostros minimè fuerit hortatus ad huius præclari edicti promulgationem.* Despectus *autem causa in illis fuit* Iu-

ris Romanorum inscitia, & quòd visus fuisset Princeps veterum Magistratuum autoritatem labefactare. Errant illi quidem, ignorantes creationem horum Iudicum esse haustam ex fontibus Iuris ciuilis. Nam si quis fortè delectetur lectione huius opusculi, inueniet has leges Præsidales parum discrepare à præceptis Iureconsultorum, & Imperatorum constitutionibus. Scriptores etiam antiquitatum similium edictorum multis in locis meminerunt, quo tempore Romani Imperatores totius orbis fruebantur imperio. Sed illis canibus latrantibus facilè ignoscendum esse putaui, qui functionem dignitatum magis metiuntur suis commoditatibus, quàm fidelissimo obsequio, quod Principi debetur, & ciuitatum tranquillitate, in quibus ipsi dominatum habent. Mala enim mens improbis artibus, & malorum sanguine, ad magnum cumulum diuitiarum cupit peruenire. Nos, licet ad munus iudicandi dono Principis simus acciti, desideramus tamen (Deus ita nos amet) omnes lites forenses esse affixas cruci. Siquidem tolerandi non sunt iudices, qui suggerunt ansam litigandi, nec dant operam, vt disceptationes hominum dirimantur. Vir enim rectè iudicans debet eligere, potius affligi malis fortunæ, (vt Moses ille Hebræus fecit) quàm temporarus peccati commodis frui. Satis laudari non posset hoc edictum propter humanæ societatis necessitatem, & hominum concordiam: sed tam sanctum non est, quin Iudicum auaritia possit expugnari. Verùm non dubito, quòd si odio, aut philargyria, (quæ bonis à Natura datis est contraria) vel alia animi perturbatione, bonitatem huius legis tam iustæ peruerterint, quin portionem æterni interitus accipiant, cum Dathan & Abiron, quos viuos terra absorbuit: & licet fallant Regis æquissimam voluntatem, Dei tamen seueritatem, qui oculos habet vindices, minimè

euita-

euitabunt. Has animaduersiones contractioribus noctibus lucubratas, sub tuo nomine dicamus & consecramus: partim quòd Princeps integrum Iuris thesaurum in tuo pectore reconditum tenet: partim quòd in tanta munerum functione, quæ per totam Galliam cum summa gloria magnificè gessisti, homines inter se dissidentes, communi amicitiæ vinculo fidelissimè iunxisti. Hoc edictum est litibus atrocissimus hostis: ideo has cogitationes tibi pacis & concordiæ amicissimo donamus. Quibus accessionem longè locupletiorem post paucos dies addemus, si aliquid iucunditatis hæc breuissima fragmenta tibi occupatissimo viro attulisse acceperimus. Vale, & Deus omnium autor rerum istam tuam autoritatē nobis perpetuò seruet.

IACOBI MONFAL-
CONII IVRIVM DOCTORIS,


REGIIQVE APVD MOMPESSVLENſem Præſidalium Iudicum Curiam Conſiliarij, in Antonium Vſillum legum Antecesſorem facundiſsimum, eiuſdémque Curiæ συμβουλευτὴν integerrimum,

CARMEN AD LECTOREM.



OMA ſinat Marcum memorare ſuperba Catonem
Marte ſimul celebrem, iuribus, atque foro.
Nec variis fatum Mithridatem Pontica linguis
Gens ſuper immenſis laudibus aſtra locet.
Néve Leontinum dare te reſponſa paratum
Gorgia quæſitum vulgus ad omne canat.
Gallica nam tellus altrix vtriuſque Mineruæ
Contulit Vſillo munera plura ſuo:
Siue à ſymmiſtis obiecta refellit acutè,
Siue docet celſo tetrica iura loco.
Sæpe potens ſummo mirata Tholoſa Senatu
Vrbs eſt ingenium iuris alumna ſuum.

Hunc



AMPLISSIMO PRAESIDALIUM SENATORVM LVGDVNENsium ordini, Gulielmus Rouillius S. D.



VM. plurima ſint clementiſsimi noſtri Regis auſpiciis ab ipſo ſtatim regni ſui primordio in hanc vſque diem tam ſanctè ſapientérque inſtituta, vt & rariſsimas quaſdam optimi Principis dotes, & minimè vulgaria ſingularis cuiuſdam in patriam pietatis argumenta præ ſe ferant: vix quicquam tamen hactenus ab vberrimo illo benignitatis eius fonte emanauit, quod cum eius edicti, quod ante triennium de ampliſsimi veſtri ordinis inſtitutione promulgauit, vlla ex parte queat exæquari. Vix tandem enim, & propemodùm ſerò intellectum eſt, quanto fortunarum diſpendio, ne dicam vitæ periculo, leuioribus nonnunquam de cauſis litigatores ſuis è ſedibus ad diſiunctiſsimas regiones pertraherentur, quámque graue, quàm miſerum, quàm denique calamitoſum foret, tenuioris fortunæ homines, omiſſa rei familiaris cura, bonam ætatis partem peregrè degere, litéſque non rarò ætate ſua viuaciores in ſummis illis Senatibus perſequi, qui vt maximè anniterentur, propter ingentem tamen litigatorum confluxum controuerſiis omnibus dirimendis pares eſſe non poterant. Qua de cauſa nimis ſæpe re ipſa experti ſumus, homines cordatiſsimos leuius omnino duxiſſe, cauſam quantumuis iuſtam deſerere, quàm immenſo & rei & temporis diſpendio, luctuoſam poſt multos annos, & planè (quod dici ſolet) Cadmeam

victoriam reportare. Quo profectò nomine Regiæ benignitati nihil non debemus, qui tantis Gallorum suorum incommodis subueniendum ratus, in præcipuis regni sui vrbibus nouos Magistratus instituit, eximia tum legum peritia, tum vitæ integritate ornatißimos, quorũ iudicijs leuiores controuersias, omni sublata prouocationis ope, commisit dirimendas. Qua ex re illud imprimis cõsequimur commodi, vt iam maiore compendio, ac nullo propemodum negotio, ius nostrum domi obtineamus, quod anteà per sexcenta itinerum latronúmque discrimina, longinquis in locis ætatem terentes, vix multis annis assequebamur. Atque hac quidem in re priuatim quoque florentißimæ Lugdunensium reipublicæ non possum non gratulari, quæ vos potißimùm nacta est iudices, tanta in iure dicundo æquitate, doctrina, religione præfulgentes, vt multi in vobis Pauli, Scæuolæ, Papiniani renati videantur: tanta autem vitæ integritate & morum grauitate, vt tantùm non viuam Attici illius Areopagi, Laconicæúe Gerusiæ imaginem, si non ætatis maturitate, sanctitate tamen & consilio referatis: tanta denique erga tenuißimum quenque humanitate simul & facilitate, vt eximiam vestram comitatem meritò omnes suspiciant, & velut numina quædam ad subleuanda miserorum incommoda cælitus delapsa, non sine admiratione venerentur. Macti itaque, patres cõscripti, quo cœpistis pede pergite, & quod Athenis quotannis iurabant indices, ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθε: denique nullius compendij specie ab honesti tramite deflectite. Ita enim & vobis ipsis vberrimam sine inuidia laudem inuenietis, & liberis vestris facilem ad omnes honorum gradus viam munietis. Verùm quoniam vestra iampridem sponte in hoc stadio tam alacriter, tantáque cum laude decurritis, vt nullis calcaribus, hoc est, nulli cohortationi locum relinquatis, non est cur plura de his verba faciam.

Rectè

Rectè verò atque ordine & meo quodammodo iure facturus videor, si de meo quoque officio nonnihil attigero, paucísque vobis exposuero, quibus rationibus impulsus, quicquid hoc est siue olei, siue industriæ, quod in opere hoc elegan er emendatéque excudendo collocauimus, vestro potissimùm sanctissimo collegio dicatum voluimus. Nam cùm aliquot iam annis nihil æquè in votis habuerim, quàm vt aliqua mihi occasio offerretur, qua meum erga vos animum, studium, obseruantiam aliqua ex parte possem declarare, commodè imprimis & bono quodam fato mihi contigisse videtur, vt vtilissimus hic Antonij Usilli, celeberrimi in Mompessulensi Academia legum professoris, de Iudicum Præsidalium autoritate tractatus, mihi potissimùm excudendus committeretur. Quem cùm ad vestri præcipuè ordinis dignitatem autoritatémq; tuendam pertinere intelligerem, commodam mihi occasionem oblatam ratus, qua aliquam saltem meæ erga vos beneuolentiæ significationem præberem, nihil aut prius aut antiquius habui, quàm summa illum fide curáque emendatum prelo committere, vestróq; amplissimo collegio nominatim dedicare. Hoc verò quicquid est officij, etiam atque etiam vos oratos velim, vt pro ingenita vestra humanitate boni consulatis: & qualequale hoc est quod offerimus, non tam ex rei pretio, quàm ex animo offerentis æstimetis. Ualete. Lugduni Cal. Decemb. 1555.


DE PRVDENTISS. AC ORNATISS. LVGDVNI SEPTEMVIRO, D. NEREO A' TORVEONE QVAESTORI designato, Gulielmi Rouillij

EPIGRAMMA.

LVGDVNI, Cùm Rex iußit ſeptem eſſe virorum
Iudicium (quod nunc Præſidiale vocant)
TORVEO ad hunc virtute ſua eſt allectus honorem:
Geßit vbi iuſti Iudicis officium.
Inde volante viri fama vſque ad Principis aures,
Conſultum populo qui cupit eſſe ſuo,
Eſt deſignatus Quæſtor capitalibus auſis:
Dirus núncque malis incipit eſſe timor.
Nempe renaſcentem vt ferro & flamma obruat Hydram,
Hic ſit & Alcides alter ἀλεξικακός.
Ergo iam valeat violenta licentia facti:
Torueo nam torui criminis vltor erit.

AD MAGNIFICVM SEPTEMVIRALIS Lugd. Iudicij Protodicaſten D. Gulielmum Limandan, Barptolemæus Anulus.

Præclarum eſt dici ſeptem è Sapientibus vnum.
Ἑπῖὰ δὲ τῶν πρῶτον κάλλιον ἐςὶ σοφῶν.
Id Natura tibi dedit, ars, virtúſque, Limanda
Ὅυτε λαβοῦσα κλέος δεύτερον, οὔτε μέσον.
Et tibi pro votis accreſcant ſemper honores.
Ἀξι' ἐν ἐυβουλῇ λυγδονικῇ ἔφορε.
Ergo pro tabula quæ oblata eſt aurea Phœbo,
Τοῦτο παραινετικὸν πίξιον ἐνδέχετο.



REGIAE CONSTITVTIONIS, AD CVRIARVM PRAEsidalium autoritatem pertinentis, breuis & dilucida expositio,

Antonio Vsillo Doctore Regente Montispessuli autore.

Constitutionem Regiam de Iudicijs Præsidalibus iustissimis de causis esse promulgatam, summáque æquitate subnixam esse, plurimúmque in se vtilitatis continere.

CAP. I.



OST initium vrbis Romæ, quo tempore mortalium crescebat numerus, gens Romana toto impetu ad scelerata desideria trahebatur, & delinquendi libidine impudenter æstuabat: nec erat vnus & singularis vir, qui orbem regeret: sed ipse populus rerum potiebatur, & imperium tenebat. Propter incertum vulgi studium, variásque ipsius voluntates, nulla erat sancta lex, qua genus duceretur humanũ.

Iura omnia erant non modò corrupta, ſed etiam nulla antiquæ probitatis extabant veſtigia. Huius rei teſtis eſt Liuius lib.j.ab vrbe cõdita. Poſtea, Dei annuente ſagacia, in Principes omne imperium translatum eſt[a], qui ſua prudentia[b], & procerũ conſilio[c], tot animorum feruẽtiſsimas ægritudines moderari ſanctiſsimè voluerunt. Ideo regno meliores partes dominationis, quòd in tyrannidem non cadit, quam democratiæ Ariſtoteles[d] elegantiſsimis argumentis perculſus attribuit. Siquidem ſegniùs plures exercent negotia ſibi credita, quàm vnus[e]: & id quidem, ne per multos ipſe dominatus perniciosiſsimè illabatur. Quandoquidem principatum habẽtium multitudo laudabilis nunquàm apud antiquos habita eſt[f], non aliunde ſanè, quàm ex diſcordia multitudinis, quã pariebat dominationis apud multos diffuſæ communio[g]: naturali ad id vitio impellente, quo negligi id, quod commune eſt, videmus[h]. Abſurdum fortaſſe minimè videbitur, ſi brutorum armenta, aut gregem, aut quamuis aliorum pecorum congregatam multitudinem, huic hominum poteſtati contulerimus. In grege enim pecudum vna eſt, quæ animi ſui viuacitate, quam natura elegit, totam multitudinem prudenter conducit. Idem in armẽto magnorum animalium imperium conſpicimus, quod vna apium infinita multitudo nequaquam repudiauit[i]. Similem autem fabricam natura obſeruauit in ſtellarum pulchritudine, quibus Solem, tanquam aſtrorum principem, ipſa admirabiliter præfecit[k]. Summus autem rerum opifex Demiur

a l.j.ff.de cõſtit.pecun.
b c.venerabilẽ.extra de elect.
c l.vnica.ff. de offi.præfecti præto.
d Ethicor. lib.viij.
e l.iij.§.apparet.ff. de admin.tut.
f Ariſt.loco iã citato.
g l.cùm pater.§.dulciſſimus.ff.de lega.ij.
h l.ij.C.quãd. et quib.quar. lib.ij.
i c.in apibus. qu.eſt.ij.
k c.[illegible]o luminaria.&c. [illegible]

Demiurgos Deus suæ prudentiæ maiorem splendorem in homine formando aperuit: cuius causa omnia ab ipso prudentissimè creata sunt[a], siue in cælo, siue in terra sint constituta. Omnia enim, teste Apostolo, nostra sunt. Tanti enim operis nobilitatem neglexisse fuisset visus, si illud ἀκέφαλον, & principe nullo domitum reliquisset. Debet enim in toto genere hominum aliquis illustris anteesse, qui in rebus humanis imperium teneat, qui peruigili cura pacatũ, & minimè vacillantẽ orbẽ contineat[b], qui Astræam illam, veluti sidus quoddam præfulgens, inter mortales potentissimè tueatur & defendat[c]: cuius officio neglecto olim multos principatus corruisse, ipsi apud bonos autores legimus. Quinimo à dominatione malos principes, propter labefactatam fidem regni, aut eos fuisse ignominiosè depulsos[d], aut si minus ob ignauiam publicas administrationes gererent, illorum lateri additum fuisse coadiutorem. Econuerso verò eos imperia multis annis felicissimè rexisse, memoriæ proditum est, qui omni cunctatione abiecta, iustitiam fidelissimè coluerũt[e], qui non tam suam, quàm eorum salutem cogitarent, quorum tutelam fidei suæ reseruauerãt[f]. Ideo Principes verè dicti sunt, & Regum nomina meritò sunt sortiti. Huius autem, de qua habemus sermonem, iustitiæ officia diutius excoli non possunt, nec in pace & amicitia tot hominum cœtus conseruari, nisi diuino nutu[g] per ora Principum leges promulgatæ per totam multitudinem dispersæ fuerint, quarũ beneficio cogitationes turpes & inhonestas propul-

a l. in pecudum. ff. de vsur. §. in pecudum. Inst. de rer. diuisi.

b §. j. Auth. quomodo oport. Episco. colla. j. & c. nouit. ext. de Iudæis.

c l. inter claras. C. de sum. trini. & fide cath.

d c. alius. c. grãdi. de suppl. neglig. prælat. in Sexto.

e Notatur in Clem. pastoralis. de sen. & re iud.

f Tullius libro j. Offic.

g l. fina. C. de præscri. long. temp. & l. ij. ff. de legibus.

ſemus, & abiiciamus obſcœna facinora. Non enim magis conducunt excreſcentibus herbis ſolares radij, ſine quibus nihil vegetum, aut vita cõſtans perpetuum eſſe poteſt, quàm leges ipſæ matura procerum deliberatione à Principibus conſcriptæ, humanæ ſocietati ſunt neceſſariæ[a]. Siquidem huius iuſtitiæ, quam Reges præſidio legum ſuffulti fouent, filum, velut plumbeam normam, ſequi nos oportet: & ſiue nobiſcũ agamus, aut cum alio contrahamus, ſiue in publicis rebus aut priuatis gerendum ſit negotium, nunquàm iuſtitiæ officio carere debemus[b]. Proinde in ciuitatibus bene inſtitutis, vbi ingens eſt numerus hominum [c], non alia ratione licet ſtatuta & leges, quas municipales appellant, condere, niſi quòd gens vaga & inſolens in officio virtutis non poſſet contineri, ſi legibus certis, veluti fræno, non eſſet cohibita. Alioqui vrbes præclarè fundatæ peſſum irent: vt Carthagini fato quodam cõtigit, quæ (vt noſtri affirmant interpretes) miſerrimè aratro eſt ſuppoſita[d] propter Principũ diſcordiam, & legum proſtratam dignitatem. Hanc autem gloriam præ cæteris gentibus Galliarũ Reges aſſequuti ſunt, vt iuſtitiæ incredibili amore ferueſcentes, nullum fuerit tam anceps diſcrimen vitæ, quod viriliter ſubeundum nõ putauerint, ſiue in mari vel in terra illis dimicãdũ fuerit. Quot enim Barbaros & populos immanes in ſuam manum ſtrenuè redegerũt! Vbicunq; Mars fremebat, ſiue in Oriente, ſiue Aquilone, nomen Gallorum Principum cum maximis & præclariſsimis triũphis inuictũ & percelebre apud omnes.

a Plato li. ij. de legib.

b Tullius j. Offic. & §. j. de iuſtit. & iure.

c l. omnes populi. & ibi not. ff. de iuſt. & iure.

d l. ſi vſusfructus. ff. quemadmodum vſusfr. amitt.

omnes gentes ſemper habitum fuit[a]. Quarum rerũ præclarè geſtarum magnitudinem & excellentiam, non tam armorum viribus, quàm æquitati & iuſtitiæ, quæ amantiſsimè ab illis exculta ſemper fuit, attribuendam eſſe verius exiſtimauerim[b]. Vnde hoc munere à Diis immortalibus donati ſunt, quòd licet totius orbis Principes debeãt cõfugere ad fidẽ Imperatoris, quaſi præexcellentis[c], quòd totius orbis & quæ in ſe complectitur Antoninus Imperator ſe dominum ſcripſerit[d]: Reges tamen noſtri maieſtati Imperatoriæ minimè ſunt poſtponẽdi, quòd extra illius ditionem ſint poſiti[e]. Quandoquidem regalium, quibus præfulget noſter Princeps, inſignia minus præclara non ſunt, quàm Romanorum Imperatorum[f]. Hi ſacras habent infulas[g], per quas orbis latitudo demonſtratur. Ille Dei immortalis munere liliorum ſtemmata trophæi loco geſtat, vt ſciat in profanis rebus nemini ſe eſſe ſecũdum, præter Deos, quorum beneficentia hæc pulcherrima inſignia verè cõſequutus eſt[h]. Maximum autẽ, quo Regum noſtrorum poteſtas ſemper excelluit, eſt boni æquique integritas, cui voluerunt locum eſſe, ſiue in paruis, ſiue in magnis rebus orta quæſtio eſſet, ad æquitatem magis, quàm ad iuris apices, ſubditorum hominum cõtrouerſias conferentes, quibus ſæpiſsimè perniciosè erratur[i]. Princeps autẽ Hẽricus (vt ipſe teſtatò ſcio) rabulas ſemper peſsimè odit, qui æquitatem reliquerunt, verba autem tenaciſsimè obſeruarunt. De quibus canibus lambentibus tribunal Curiarum Cicero veriſimiliter eſt vaticinatus[k]. Ideo forenſi vſu apud

a Canoniſtæ in c. venerabilem. extrà de electio.
b In procæmio Inſtitu.
c d. c. venerabilem.
d l. deprecatio. ff. ad legem Rhod. de iactu.
e c. per venerabilem. ext. qui fil. ſint legit. & in glo.
f San. in c. vnico. quæ ſint regalia, in verſib. feud.
g l. bene à Zenone, in fin. C. de quad. præſcript.
h Guaguinus in Annalibus Regum Franciæ.
i l. qui ſeruũ. §. ſequitur. ff. de verbo. obligat.
k In Orat. pro Muræna.

nostrates receptum est, omnia negotia, de quibus in vita agitur, bonæ fidei esse, in quibus iuris ἀκριβοδίκαιον ipsum iudices acerbissimè spreuerunt[a]. Lites autem forenses, à quarum iurgio suum populum abhorrere voluit, nouis cōstitutionibus resecandas curauit. Laudāda est enim cogitatio illius, qui tales lites execratur[b], nimirum propter tristem earum euentum. Siquidem respublicæ bene fundatæ interdum ciuilibus dissensionibus, & priuatis iurgiis infeliciter corruunt[c]. Salua enim religione lites honestè tolerari nō possunt, vt Christianus homo contra Christianū iudicio contendat[d]. Cæterùm tractatus vsucapionum, necnon præscriptionū eleganti artificio est conscriptus ab Imperatoribus, & à Iurecōsultis, vt amplius litigandi temere locus nō esset[e]. Satis nō posset laudari Arati Regis Sycionis præclarum facinus, qui post liberatam patriam, occiso tyranno Nicocle, ciuibus suis tantum numerari præcepit, quanta esset agrorum æstimatio, quos exules amiserant. Passus enim fuit humanissimus ille Princeps sui iuris imminutionem[f], ne litigandi amore inflammati sui ciues ab honestioribus rebus distraherentur. Maiori tamē laudum cumulo noster Henricus est extollēdus, qui à tēpore, quo regali munere sacrísque infulis est decoratus, animo quiescere non potuit, donec ex procerum consilio[g] ad sopiendas lites forenses sacratissimam constitutionem ediderit, qua restrinxit latius serpentem appellationis vsum[h], illiúsque habenas laxiores cum maximis litigatorum commoditatibus, sanctissimè imminuit. Sanxit enim edictali lege Præ-

sidal

a l. si fideiussor. §. quedā. ff. mandati.

b l. si res. §. fin. de aliena. iudi. mut. causa fact.

c l. si quis ingenuam. §. fi. ff. de cap. & postli. reuers.

d Apostolus priore ad Corinthios Episto.

e l. fin. ff. pro suo.

f Cicero lib. 2. Offic. & nota. in §. rursus. Insti. de actio.

g l. fin. C. de legib.

h l. j. ff. de appellat.

ſidales iudices de valore bis centum quinquaginta librarũ cognituros, ſublato prouocationis auxilio, ſiue in perſonam, ſiue in rem actio propoſita fuerit: quãuis in certis iuris articulis aliquot ſpecies optimus ille Princeps exceperit. Cõſtituit etiam ab ipſis latas ſententias à iam dictà ſumma vſque ad quingẽtas libras, executioni viriliter eſſe tradendas: licet victis ius prouocandi minimè denegauerit. Quæ appellatio contra vetus inſtitutum Romani iuris[a], & ſacrorum Pontificum, nec extinguet, nec ſuſpendet pronuntiatum. Reditus annui regalis illa Bonitas oblita non eſt, cùm eodem Principe ſit conſtitutum, in ſententiis decem librarum vſum veterem appellationis non eſſe recipiendum. Verùm ſi viginti librarum contineant condemnationem, in vim executionis firma iudicia erunt: licet appellationis ſubſidio, ſi qua illata ſint grauamina, cenſura ſuperiorũ poſsint inſtaurari[b]. Huius edicti ſummam æquitatẽ demonſtrare operæpretium eſt, illiúſque euidentiſſimam vtilitatem, cuius tenorem non multùm alienum eſſe à præceptis noſtræ Iuriſprudentiæ, dilucidè oſtendemus. Primùm itaque docebimus amplitudinem autoritatis Senatus, & quæ illius olim partes fuerint: in cuius locum à Principe Parlamenta ſunt ſuffecta. Hodiéque verius, Budæo teſte, Centũuiralia iudicia dicerentur[c], ob eam fortaſſe rationẽ, quòd ipſæ ſupremæ Curiæ non de iure & facto tantùm, ſed etiam de æquitate magnarum rerum iudicia obeunt[d]. Non igitur debent trahi in admirationẽ iudices, qui in inferioribus ſubſelliis iudicant, ſi Par-

a *l.j.§.fi.ff. ad Turp. & in c.ſi Romana. extrà de appellat.*

b *d.cap.cùm Romana.*

c *Budæus in l.fin.ff.de Senatorib.*

d *Autor Feſtus.*

lamenta Centumuirali iudicio in senatusconsultis ferendis solam æquitatem sequuta, ius ipsum scriptũ impunè floccifaciant. De quibus non pigebit inserere verba Ciceronis, inquientis[a]: Nam volitare in « foro, hærere in iure & Prætorum tribunalibus, iudi- « cia priuata ac magnarum rerũ obire, in quibus sæpe « non de facto, sed de iure & æquitate certetur: iactare « se in causis Centumuiralibus. Parlamenta enim ex- « tra ordinem, velut quæcunque supremæ Curiæ, hominum controuersias dirimunt, tanquam Centumuiralia iudicia. de quibus Tranquillus in Vespasiano hæc verba subiunxit[b]: Litium series vbique ma- « iorem in modum excreuerant, manẽtibus antiquis « intercapedine iurisdictionis, accedentibus nouis ex « conditione tumultúque temporum, elegit, per quos « rapta bello restituerentur, quíque iudicia Centum- « uiralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorũ « ætas videbatur, extra ordinem iudicarent, redige- « réntq; ad breuissimum numerum. Quæ autem fue- « rit maiestas prisci Senatus Romani, periucundum erit dicere, tam ex lectione Iureconsultorum, quàm ex monumẽtis veterum scriptorum. Ciuili Iure parem potestatem habuisse Senatũ cum Principe, frequentissimè legimus. Regia dignitas est in cõdenda lege[c]: ita non ambigitur Senatui hanc inesse potestatem condendæ legis[d]. Propter supremam illam potestatem à Principe non appellatur. Ita siquid Senatus edixerit decreuerítve, perpetuum esto, nec prouocare licet[e]. Addendum denique est, quòd nullus potest dare facultatem ducendi aquã ex flumine publi

a libro j. de Orat.

b Tranquil. in Vespas.

c l. fina. C. de legib.

d l. non ambigitur. ff. eod. titu.

e l. j. ff. à qui. appel. non licet.

publico nauigabili, nisi fuerit Princeps aut Senatus[a]. Adeò vt in omni ferè parte iuris Senatus potestas regiæ dignitati æquiparetur. Quandoquidem Senatus conditio certis legibus non erat adstricta, nec iuris debebat sectari insidias. Fabius est autor[b], inquiēs, » Vna controuersia est per se furti, per se adulterij, » plures autem eiusdem generis, vt in pecuniis repetundis: aut diuersi, vt si quis sacrilegij & homicidij » simul accusetur: quod nunc in publicis iudiciis non » accidit: quoniam Prætor certa lege sortitur: Principum autem & Senatus cognitionibus frequens est, » & populi fuit. Ex quo loco est credibile emanasse illam differentiam iudicum inferiorum, & supremorum, qui in subselliis sublimioribus controuersiarū seuerissimè dirimunt ambiguitates[c]. Iudices autem, qui ad iudicandum sunt constituti appellatione remota, instar veteris illius Senatus, humanarum Constitutionum nodos, quanuis in iure sint expressè scripti, causas decidere non adstringūtur, si scripto iuri æquitas minimè fuerit consona[d]. Primi verò iudices, à quibus ad sublimiorem censuram recurritur, legis scriptæ rigorem, quantumuis acerbus fuerit, iuris autoritas sequi cogit[e]. Hæc erat olim maiestas Romani Senatus, hic splendor, summa in omnes potestas, quo tēpore totus orbis admirabile illud Imperium summa cum obseruantia metuebat. Sed rerum mutua vicissitudine, qua omnia cadunt, & iterum renascuntur[g], illud imperium senuit: illúdque debilitauere muliebres animi Principum[h]. Quo quidem tēpore cœpit cadere maxima illa Senatus au-

a l. quominus. ff. de fluminib.

b Quintil. li. iij. de contro.

c Interp. in l. placuit. C. de iud. & l. prospexit. ff. qui & à quibus.

d Doctores in d. l. placuit.

e d. l. prospexit. ff. qui & à quibus.

f l. j. C. de sūma Trin. & fid. cath.

g Tranquil. in Nerone

h Accursius in l. Labeo. ff. de supel. leg.

toritas, nec amplius de maximis rebus imperij, sed de minutis causis cognoscebat. De cuius interitu Liuium loquentem non pigebit referre, cùm inquit[a]:

a Liuius lib. iij. ab vrbe condi. de Cincinnato loquens.

" Operæpretium est audire, qui omnia præ diuitiis hu-
" mana spernunt, nec honori magnum locum neque
" virtuti esse putant, nisi effusè affluant opes. Spes vni-
" ca imperij pop. Romani L. Quintius trans Tiberim,
" cōtra eum ipsum locum, vbi nunc naualia sunt, qua-
" tuor iugerum colebat agrum, quæ nūc prata Quin-
" tia vocantur. Ibi à Legatis seu fossam fodiens, Bipa-
" lio innixus, seu cùm araret, operi certè (id quod cō-
" stat) agresti intentus, salute data inuicem redditáq;,
" rogatus, vt (quod bene verteret ipsi reíque publicæ)
" togatus mandata Senatus audiret: admiratus rogi-
" tánsque satin' salua essent omnia, togā properè pro-
" ferre vxorē Raciliam è tugurio iubet. qua simul ab-
" sterso puluere ac sudore velatus processit, Dictatorē
" eum gratulantes consalutant. A Cæsare autē Dicta-
tore oppressa repub. languere Senatus autoritas, ac deinde post Augustū etiā cœpit interire, cùm vnius iam arbitrio omnia gererētur. Quo quidem tempore mutari senatoria munera cœpta sunt. Non enim Senatus in mandandis exercitibus, in prouinciis decernendis, in legationibus mittendis admittendísq;, aut in constituenda occupatus vltrà fuit: sed in adulationem Principum conuersus, insontes sontésque nullo discrimine condemnare, sæuiētibus Principibus damnatos permittere, flagitiosissimos ciues in gratiam Principum ex reis eximere, ac Principibus condonare, hominibus innocētissimis negotium facessere,

cessere, delatoribus fauere Principũ, denique impotentissimis factis subscribere, autorémque se præbere. Et hæc premẽte seruitute coactus est facere. Tũc senatorij muneris esse cœpit reorũ iudicatio. De officio muneris senatorij, quod olim in vrbe ante tyrãnidẽ Imperatorũ florebat, copiosiùs licet cõmemorare ex xij. tab. libris, quibus ita scriptũ est[a]: Omnes magistratus iudiciũ auspiciúmq; habento. Ex his Senatus esto. Eius decreta rata sunto. Is ordo vitio vacato: cæteris specimen esto. Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto. Causas pop. teneto. Quæcunque cũ populo, quæ cũ Patribus agentur, modica sunto. Erat autẽ autoritas in Senatu, & potestas in populo. Huius etiã rei testis est Cicero lib. iij. de Legibus, inquiens[b]: Vnde Senatus censere, & populus iubere dicebantur. Idcirco populo imperiũ administrãte, circa id tantùm populus differebat à Senatu, quòd populus iubebat, censebat autem Senatus, teste Liuio[c] Bellũ Macedonicũ referente, cùm ait: Senatus eam pacem seruandam censuit: & post paucos dies populus iussit. Cuius Senatus autoritatẽ, apertius eodem loco de Legibus explicatam Cicero nobis reliquit[d], inquiens: Senatori tria iussa sunt: vt adsit. nam grauitatem res habet, cùm frequẽs ordo est. Vt loco dicat, id est rogatus. Vt modo, ne sit infinitus. Nam breuitas non modò Senatoris, sed etiã Oratoris magna laus est, in sententia. Nec est vnquàm longa oratione vtendum, nisi vbi spectante Senatu, (quod fit ambitiosè sæpissimè) nullo magistratu adiuuante, tolli diem vtile est, aut cùm tanta causa est,

a In legib. xij. tabularum.

b Cicero lib. iij. de Legib.

c lib. vij. Belli Macedonici.

d lib. iij. de Legib.

vt ſit Oratoris copia opus vel ad hortandum,vel ad docendum. quorum generum in vtroque magnus eſt noſter Cato.Quod lex addit, Cauſas populi teneto:neceſſarium eſt Senatori noſſe rempub.Idqúe latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſpub.habeat,quos amicos,quos ſtipẽdiarios,qua quiſque ſit lege,conditione,fœdere, tenere cõſuetudinem decernendi,noſſe exempla maiorum. Ex quibus verbis Ciceronis,& illis xij.tab. ni fallor,liquet,litium cognitionem & iudicandi neceſsitatem, non fuiſſe olim muneris ſenatorij. quãuis ex Budæi ſententia Decuriæ iudicum ex ordine Senatorum pro rei opportunitate aliquando aſſumerentur[a]. Verùm miſeram illam Senatus mutationem dolet in quadam Epiſtola Plinius[b]. Priorum (inquit) temporum ſeruitus, vt aliarum optimarum artium, ſic etiam iuris ſenatorij obliuionem quandam & ignorantiam induxit. Ideo Nero, peſsimus ille Imperator, poſtquam proſtrauit veterem illam Senatus autoritatem, vt penſaret illius calcatam dignitatem, inſtituit, omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fieri[c]. Vnde à Senatu iudices dari poſtea cœperunt. His demum etiam propè temporibus Senatus muliebris ordo creatus eſt ſub imperio Heliogabali[d], qui in colle Quiritum inſtar Senatus inſtituit Senatulum, id eſt conuentum mulierum, vbi erant Decuriæ matronales, ſolennibus duntaxat diebus congregatæ, vbi facta pronuntiabantur quædam Senatuſconſulta ridicula de moribus matronarũ, quæ quo veſtitu incederẽt,

a Budæus l. fin. ff. de Senatorib.

b Plin. in Epiſto.

c Tranquillus in Nerone.

d Lãpridius in Heliogabalo, & Vopiſcus in Aureliano.

quæ

quæ cui cederent, quæ pilento, quæ equo ſaginario, quæ aſino veherẽtur, quæ carpento mulari, quæ boum, quæ ſella veherentur, vtrùm pellicea, an oſſea, an eborata, an argẽtata: & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent. Vellem ipſe hæc, aut ſimilia Senatuſconſulta, quamuis eſſent ridicula, in hac ciuitate vim & autoritatem habere, vbi mulieres aliquot, quibus curta eſt domi ſupellex, regali veſtimento induũtur, quæ etiam auro & gemmis præfulgent, Pauli Apoſtoli [a] & Arcadij Imperatoris [b] legi minimè obtemperantes, in quibus facultatum externarum reditus delicatiſsimæ rationi victus, & veſtimentorum ſplendori nequaquam reſpondent [c]. Propterea triſtiſsimus euentus illas interdum expectat, quæ ex Biãtis Philoſophi ſemine potius, quàm Solonis, procreatæ eſſe videntur: qui omnia bona ſecum portabat [d]. Sed patris diaboli eſculentis quotidie educãtur, quas impellit ad diſtractionem proprij patrimonij, vt cadauer illud mirè fœtidũ [e] auri vel gemmarum pondere impudentiſsimè exornẽt. Niti igitur ſumma ope oportet iudices, vt Henrici noſtri de re veſtiaria Conſtitutionem [f] nuper latam ſedulò in viridi obſeruantia eſſe iubeant. qua lege nihil ſanctius, nihílque vtilius hominum ſaluti excogitari poteſt. Sed hæc ſufficiant de Senatu muliebri. Inſtar autem Decuriæ Centumuirorum per Parlamenta publica iudicia, priuatáſque actiones noſtri Principes definiri voluerunt, quæ non parum ſimilitudinis videntur habere cum priſco illo Senatu, ſecundùm faciem, quæ illi fuit relicta placito poſte-

a Paulus poſteriore ad Corint. Epiſt.
b l pen. C. de veſtib. holoſer. et parag.
c l. ius alimẽtorum. ff. vbi pupillus educari debeat.
d Cicero in Paradox.
e Arg. l. iij. §. Diuus. ff. de ſepul. viol. et l. fin. ff. eod.
f Henrici Regis lex memoranda, de re veſtiaria.

riorum Imperatorum. Quandoquidem non de iure, ſed de æquo, ipſa Parlamenta cauſarum controuerſias decidunt: nec certa lege tenentur, vt idem de Senatu prædiximus: ſummámq; Principes Parlamentis ipſis poteſtatem in hoc regno conceſſerunt. Nihílq; eſt tam anceps & dubiũ in rebus humanis, quod prudentia & ſumma eruditione cõſiliariorum non eluceſcat. Credidit enim Princeps eos non aliter iudicaturos propter ſingularem animi ſui induſtriam, quàm ipſe faceret [a], ſi eo præſente omnes lites regni diiudicarentur. Principis enim liberalitate non aſſumuntur in illum ordinem ampliſsimum, in quibus conſilium, ratio, ſententia locũ non habent [b]. Et quemadmodũ apud Græcos nemo erat cooptatus in eam ſupremam dignitatem, quam Geruſian appellabant, ſi non prius ſe præſtitiſſet morum grauitate eo præmio digniſsimum [c]: ita in ſupremis Curiis neminem deſcribit optimus Princeps noſter, niſi eruditio longiſsimo vſu comparata, animi integritas [d], maximus in rempub. amor, & omnium perturbationum vacuitas, atrox philargyriæ odium, (quæ officio iudicum eſt inimiciſsima, cum qua nihil ſanctum, nihil rectum duci poteſt) ad publicas adminiſtrationes illum inuitauerit. Erant omnibus numeris æqui boniq; conſummati, & maxima præditi doctrina, qui ſummã laudem Geruſiæ apud Lacedæmonios merebãtur [e]: ita maximas illas Curias à perfectiſsimis iiſdémque optimis viris obtineri debere noſter Princeps exiſtimauit. quorum iudicia omni ſuſpicione carere debent, maximè quòd ſententias aliorum

a l. vnica. ff. de offic. Præfecti pretor.

b Cicero in Catone.

c Demoſthenes de repub. Spartanorũ loquens.

d §. j. Authẽ. iuſiurandũ quod præſtatur ab his. coll. ij. et §. j. vt iudi. ſine quoq. ſuffra.

e Ariſt. ij. Pol.

aliorũ redarguant, ipſorũ autem placita à nemine reprehendantur [a]. Ratio autem quæ me mouet, vt Parlamenta eſſe ſimillima Curiis Centũuiralibus pu tauerim, eſt, quòd Prætor Centũuiralibus præerat [b]: vbi ſedebant iudices centum & octoginta. tot enim quatuor conſiliis conſcribuntur. His autem Prætor præſidebat. In locis, qui plurimi ſunt in arte noſtra, ſcriptũ eſt, Prætores non ius ipſum, ſed purã æquita tem ſequi oportere, quãuis regulis ipſius contradixerit [c]: quas partes ſuprà meminimus eſſe Parlamen torum, quæ lege ſcripta minimè ligantur. qua in re primos excellunt iudices, qui iuris ſcripti normas, li cet ſit durum [d], Principum mandatis cogũtur amplecti. At ſicut in illo Centũuirali ordine deſcriptus erat numerus illuſtrium perſonarum, quæ tanquam Præſides totum chorum [e], ſiquid incompoſitè eſſet geſtum, actúmve, moderabantur, ita in Parlamentis anteſtant Præſides, qui in ſubſelliis primi imperant, & litium renuntiatores, qui vulgò dicuntur Reportatores, ſeueriſsimè audiunt. Parlamẽtum ideo dici creditum eſt, quòd poſt auditas actiones altercationéſque Aduocatorum exquiſitis ſuffragiis cõſulentium iudicum, ad iudicãdum Præſides conſurgãt. Vnde nomen habet, me iudice, ἀπὸ τοῦ λαλεῖν. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quod à maioribus noſtris accepimus, Decurias Parlamentorum à pri mordio ſuæ originis vagas & deambulatorias (vt eorum verbo vtar) fuiſſe: nec loco, nec tẽpore erant ſtatæ, ſicut iam videmus Prætorianũ Principis con ſilium certas nõ habere ciuitates, vbi optimates il-

a c. nemo q. iij. Cice. pr Mur.
b Plin. libro vj. Epiſt.
c l. quòd ſi Epheſi. §. fin. ff. de eo quod certo loc. & l. ſiquis cùm aliter. ff. de verb. obliga.
d d. l. proſpe xit. ff. qui et à quibus.
e Budæus in d. l. fina. ff. de Senat.

lius ad deliberandum conueniant. Cuius ritus diuinam illam ſanctimoniam ab Adriani Imperatoris temporibus[a], ad priſcam illam maiorũ noſtrorum ætatem emanaſſe crediderim. Quod enim Plinius ſcripſit, Mygdones & Moſynos, aliáſque inhonoras ciuitates ad Pergamenam conueniſſe, vt deliberarent [b]: de ſimili conuentu intellexiſſe credendus eſt. Eſſem tũc verè fortunatus ipſe, ſi Deus optimus me ad illa tempora ferret, cùm iuſſu principali aliquot Decuriæ Parlamẽtorum ampliſsimas ciuitates ſuæ prouinciæ annis ſingulis inuiſerent, vbi ciuiles controuerſias & improborum hominum iurgia dirimerent, quibus reſpublicæ & optimæ ciuitates collabuntur[c], vt antè aperuimus. Illæ autem prouinciæ ciuitates, vbi ſtatum eſt conſilium illud Senatoriũ, iuſtitiæ & æquitatis finibus tantùm continẽtur, propter vigilem & præſentem curam ampliſsimorum iudicum [d]. Hæ verò vrbes, quæ procul ſunt poſitæ à tribunali ſummi illius magiſtratus, ciuium diſcordia agitantur [e]: in quibus impunè recipiuntur latrones, ſicarij, falſi teſtes, adulteri, ſolicitatores alienarũ nuptiarum, maſculorum cõcubitores, gaſtrimargi, & huius generis nephandiſsimi homines, etſi pœna in eos dicta fuerit, aut appellatione pronuntiatum extinguũt[f], aut diuturnitate temporis, reatum & criminis conſcientiam obliuioni tradunt[g]. Quæ Parlamenta cùm à Deo optimo maximo ſint inſtituta per ora Principũ, vt de rebus arduis & maximi ponderis agitatas in tribunali cauſas deciderẽt[h]. Et quia ſummam habent ſecũdùm Principem poteſtatem, eis

a Spartianus in Adriano.

b Plin. lib. v. nat. hiſto. capit. xxx.

c l. ſi quis ingenuã. §. fin. ff. de capt. et poſtli. reuer.

d §. j. C. de defenſ. ciuit.

e Cicero in omnib. act. in Verrem.

f d. l. j. §. fi. ff. ad Turp.

g l. querela. C. de falſis.

h Ratio eſt ſcripta in verbis edicti.

eis notionem noſter Henricus tantùm reſeruauit de grauioribus cauſis: rerum verò minutarum cognitionem ſua regali maieſtate indignã eſſe exiſtimauit[a]. Ideo minimè decẽs, & humano generi fructuoſum eſſet, ſi tam graues perſonæ, & vſu forenſi exercitatiſsimæ, in leuioribus occuparentur, & maiores cauſas deſererent[b]: maximè quòd illum ordinem perſonarum, propter probam fidem, & induſtriam ſingularem, ſuæ iuriſdictioni ferè æquauerit[c]. De leuioribus autẽ rebus motas quæſtiones Principes noſtri ſemper repudiauerũt, nec ad ſuam notionem voluerũt pertinere[d]: quarum cognitionem, quæ antè ad Senatum, ſeu Curias ſupremas ſpectabat, nouiſsimum Principis edictum ad iudices Præſidales æquiſsimè tranſtulit[e]. Cuius edicti vtilitas non eget commendatione. Ipſum enim ſe oſtendit[f]. Illius tamen cõmoditatem in hoc opere ſuſcepimus explicandam. Primùm itaque ſupponere oportet, omnes iuriſdictionis ſpecies à Principe, velut ab vberrimo quodam fonte emanaſſe[g]: illiúſque eſſe dominum perennem: neque à ſe poſſe illam abdicare, manente nomine Principis[h]. Cæterùm diſtributio iuriſdictionis, quam ille facit in diuerſis vrbibus aut locis, vim contractus habere non poteſt: qui etiam in Principe debet tenaciſsimè obſeruari[i]. Siquidem partes iuriſdictionis alicui cõceſſæ, ex ſolo nutu Principis poſſunt reuocari: nec certam temporis & loci habẽt ſtationem, quia incerto tempore conferuntur[k]. Errant igitur homines, qui dono Principis iuriſdictione antecedunt aliqua, ſi iure hæreditario eius partes

a l. ſi quis ſeparatim. §. j. ff. de appel.
b Arg. l. placuit. C. de pedan. iudi.
c l. j. ff. à quibus appel. nõ licet.
d d. l. ſi quis ſeparatim. § j. ff. de appel.
e Legantur verba edicti.
f l. j. ff. de reſtitu. in inte.
g l. j. ff. de Cõſtitu. Principum.
h Canon. in c. intellecto. extrà de iureiurando.
i Bald. in l. digna vox. C. de legi. & in l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iure.
k l. Iuriſperitos. & ibi Doct. ff. de excu. tut. & Iaco. Rebuf. in l. curiales. C. de Decur.

integras, reluctãte Principe, velint vendicare[a], cùm sint eandem ferè cum sacerdotiis naturam sortitæ, quæ tanquam paterno iure, velut Domini sanctuarium, non possint detineri[b]. Et quia prouinciæ moribus nostris discernuntur per vim iurisdictionum, quarum vnicuiq; à Principe datus est Præses[c], non debet videri alienũ, si Princeps eiusdem prouinciæ iurisdictionem scindat, cùm eandem prouinciam in plures prouincias possit diuidere[d], & rursus plures in vnam vtiliter vnire[e]. Cordi enim est Principi, cõsulere communi hominum saluti[f], non autem ambitioni quorundam, qui magis suis commodis, quàm publicis, functiones dignitatum arroganter concupiunt: quorũ iudicia non possunt suspicione carere, qui magis explendæ auaritiæ causa[g], quàm æquitatis amore ducuntur. Propterea, nisi resipiscant, eos æterni cruciatus expectant cum Dathan & Abiron, quos viuos terra repentè absorbuit[h]. Sed nos ad inceptum redeamus. Princeps noster huius edicti autor, cuius interest, locupletes esse subditos, & ne rebus suis abutantur[i], diutius secum animaduertit, vi quadam diuina raptus, imperium suũ diminui & rebus, & personis, propter spontaneam cõtradictionẽ quorũdam litigatorum. nam plebeij rem rusticam obliuiscebantur: mercatores nauigiũ, nobiliores arma fastidiebant: sacerdotes res sacras, scholares rem literariam & humaniores disciplinas vilipendebãt: vt fortasse in iudicio vincerẽt, cùm de glande[k], aut fortè de ouo tantùm lis orta fuisset: quarũ litiũ dispẽdia genus humanũ abrodũt, propter naturalem hominum

a Bar. in l. j. ff. ad leg. Iul. de ambitu.
b c. ij. ext. de præbend.
c In tit. ff. de offic. Præs.
d l. si eadẽ. ff. de offi. asses.
e Bar. in l. si cõuenerit. §. si nuda. ff. de pign. act.
f In c. vnico. extra de sac. vnct.
g l. venales. C. quãdo prouocare nõ est necesse.
h c. licet de vitãda. ext. de elect.
i l. ij. ff. de ijs qui sunt sui vel alie. iur.
k l. vnica. ff. de glande legẽd. Accur. in §. gallinarum. Instit. de rerum diuision.

minum ad dissentiendum facilitatem[a]. Nos autem licet vsu parum valeamus, & memoria prisci tempo ris, recordamur tamen, quàm plurimos litigatores, forsitan propter sublationẽ bouis, aut gallinæ, cùm in remota prouincia iudiciũ subirẽt, vel morbo, vel inedia succubuisse[b]: quoniã hæc crebra & effrænata litigandi consuetudo non parũ abest ab arte Alchy mistarum, qui sibi opes vanas spondẽt, quas suo fallaci artificio inuenire non possunt[c]. Ita nõnulli actores temerarij, falsa spe vincendi à rabulis incitati, opes, quas habent, conterunt, vt ore hianti falsas diuitias Tantali apprehendant, ignorantes litiũ euẽtum esse tristissimum[d]. Idcirco religiosus ille Princeps remedium accommodatius nactus non est ad dirimẽdas lites[e], quàm cùm præclusit viam appellationis, præsertim de rebus modicis, & non excedentibus præscriptũ valorem: quia sæpissimè maximi illi iudices multitudine causarum obruti, propter vim imperij[f] de grauioribus causis cognoscere impediebantur[g]. Relatum enim fuit clementissimo illi Regi, summos illos cõsiliarios propter pietatem aut misericordiam, (qua in re eos satis laudare non possum) causas miserabilium personarũ pertractare: potentiorum autem lites immortales in maximis illis Parlamẽtis obstrepebãt[h], & nunquàm aut raro debito fine terminabantur[i]. Vnde fiebat, quòd milites & alij potentiores spei vincendi in foro gloriam militarem[k] turpissimè postponerẽt. Aliud item inconueniens nascebatur, & illud quidem pessimum erat, quòd occasione paruarum litium turba hominum

a l. item si vnus. § princip aliter. ff. de recep. ar. bit.
b § .j. in Authẽ. vt omnes obed. iud. in versicu. quid enim erit du rius. colla. v.
c c. vnico. de crim. fals. in extrau. com.
d l. quod debetur. ff. de pecul.
e l. quidam existimauerunt. ff. si certum pet.
f l. cùm Prætor. ff. de iud.
g d. l. placuit. C. de pedan. iud.
h Contra leg. properandũ.
i Cont. c. iurgãtium. ext. de sent. et re iud.
k Arg. l. milites agrum. ff. de re militari.

otioſorũ per vrbes ampliſsimas Parlamẽtorum vagabatur,& diſcurrebat. Et illi quidem erant corruptiſsimi, quorum frequentia & venefica conſuetudine nõ modò mali fiebant deteriores, ſed etiã proſpero ſidere nati,ad omnem ſpeciem iniquitatis fiebant procliues [a]. Qua quidem ratione moti Quirites,nomine ciuis Romani extraneos non donabant, niſi vrbis dignitatem rebus præclarè geſtis,& prudentiæ ſingulari exemplo [b] locupletare potuiſſent. Ideo in Actis Apoſtolorum Paulus ciuis Romanus nuncupatus fuit,quamuis Tarſenſis eſſet,quòd ciuibus Romanis ſua eximia eruditione,Imperatorum beneficio fuerit aggregatus [c]. Idcirco appellans ad Cæſarẽ fuit adductus.Expellenda igitur eſt ex vrbibus bene cõpoſitis inſana hominũ multitudo,quam fæcẽ ciuitatũ & corruptelam verius,quàm hominũ cœtũ, dixerim,cùm ſit ciuitati longè honorificentius,à paucis ſapiẽtibus incoli [d],& eſſe ab improbis deſertã,quã ſi in ea ſecors pigrorũ multitudo numerũ verè ciuiũ in magno numero ſuperaret [e]. Quare perpẽdens Henricus infinitã cauſarũ multitudinem, quarũ appellatiões ad Parlaméta deferebãtur Bailliuorũ & Seneſcallorũ,certos inſtituit pedaneos iudices,& illos quidẽ ſupremos, id eſt appellatione remota iudicaturos de modicis cauſis:grauiorum autem litiũ definitionem ipſis maioribus prouinciarũ iudicibus reſeruauit [f]. Nã ſi Prætor,qui in Centũuirali iudicio anteſedebat,dãdi iudicis habebat facultatẽ propter vim imperij, id eſt,cauſarũ multitudinem [g]: quãtò magis hac poteſtate iudicis dãdi Princeps,

a Paul. Apoſto. c.15. prioris ad Corint.

b Doct. in l. Roma. ff. ad municip.

c Notat. in Act. Apoſ. c.25. Alcia. lib.ij. Diſpũ. cap.21.

d Arg. cap. multi ſacerdotes.

e Plato in ſuis de Republ. libris.

f l. placet. C de ped. iud.

g d. l. cũ Prætor. ff. de iud.

ceps, qui eſt fons omnis humanæ iuriſdictionis[a], præfulgere[b] debet! Harũ ſediũ Præſidalium naſcituram autoritatem Gulielmus Budæus ante obitum præuidit, dum deſiderabat, vt ſacculorũ aceruos apud Actuarios publicè, aut apud vnũquenque iudicum priuatim non tam cuſtoditos, quàm abſtruſos, atque etiam in conditorio obliuionis ſepultos, in lucem proferri iubeant Principes, & eligant quoſdam induſtrios & ſagaces viros, qui extra ordinem minutulas ducentenarias aut tricentenarias cõtrouerſias, vt commodum videbitur[c], diiudicent. Simile inſtitutum Veſpaſianus publicandum mandauit[d], cùm excreuiſſent magnæ ſeries litium, quod toto ſui imperij tempore diligentiſsimè ſeruari iuſsit. Ante hoc inſtitutum fiebat, vt diſpendiorum vera æſtimatio longè eſſet pluris, quàm res ipſa, de qua per longinquam prouinciam iudicium ſubibant[e], & accommodatius illis foret ab eiuſmodi litibus abhorrere, quàm tantos ſumptus ad perſecutionem rei tenuiſſimæ impendere: & modici iuris potius iacturam pati[f], vt in quiete apud ſuos in laribus ſint. Periculo enim famis, & ancipiti vitæ diſcrimini ſe exponunt propter longitudinem difficultatémque itinerum, necnon latronum incurſus. Qua in re minimè tædebit intexere verba Principis Iuſtiniani in Nouella Conſtitutione[g]. Græca autem editio plus habet energiæ, quàm Latina: ideo nos eam referemus. Εἴτε γὰρ μεγάλα τὰ ἁμαρτήματα, ἢ τὰ συναλλάγματα καθέστηκε, χρὴ πᾶσι τρόποις ἐπ᾽ αὐτοῖς καὶ προσαγγελίαν εἶναι, καὶ γραφὴν (εἰ δεηθείη) καὶ ἐξέτασιν ἐπιχώριον, διὰ τὸ πρόχειρον τῶν ἀποδείξεων, εἴτε ἐπὶ σμικρῷ τις ὁμοίως πλημμελεῖ, ἢ μεῖζον

a d. l. j. ff. de conſti. princ.
b l. à iudice. C. de iudic.
c l. fin. ff. de Senatorib.
d Tranquillus in Veſpa.
e d. §. j. verſi. quid enim durius. in authen. vt omnes obe. iudi.
f Argu. eorũ, quæ Accurſ. not. in l. idem Pomponius. § recepiſſe. ff. de recept. arbit.
g §. j. verſi. ſiue cùm magna delicta. in Auth. vt omnes obed. iudicib. prouinc. coll. v.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ἔτι τὸ ἁμάρτημα γένοιτο. εἰ μηδὲ ἐπὶ τοῖς βραχέσι τῶν δικαίων ἀπολαύσειεν, ἀλλ' ἀναμένοι γενέσθαι τε ἐπ' ἀλλοδαπῆς χώρας, ἐκεῖσέ τε αὐτὸν ἄγειν, καὶ περὶ τούτων δικάζεσθαι. Οὔτε οὐδὲ παρόντα, οὐδὲ ἐπὶ τῆς χώρας ἴσως διὰ τὴν ἰσχὺν τὴν ἐκείνου, ἢ διὰ τὴν ἀσθένειαν τὴν αὐτοῦ μετελθεῖν δύναται προσηκόντως. Τί γὰρ ἂν εἴη χειρότερον, ἢ τὸν ἀδικηθέντα τυχὸν, ἢ περὶ ἀφαίρεσιν βοὸς, ἢ ἵππου, ἢ τῶν ὑποζυγίων τινὸς, ἢ βοσκημάτων, ἢ (ἵνα τὸ ἐλάχιστον εἴπωμεν) κατοικιδίας ὄρνιθος, τοῦτον ἀναγκάζεσθαι μὴ καθ' ἣν ἀφῄρηται, χώραν δικάζεσθαι, ἀλλ' ἀλλαχόσε τρέχειν, κἀκεῖσε τὰς ἀποδείξεις, ὧν ἔπαθεν, ἀπαιτεῖσθαι, καὶ ἢ πολλαπλασίαν ὑπομένειν τῆς δαπάνης διὰ τοῦ πράγματος ἀποτιμήσεως, ἢ τὴν ἀπορίαν στενάζοντα φέρειν; Ἔνθεν ἡμῖν πλῆθος πολὺ τῶν προσιόντων ἐφ' ἑκάστης ἐστὶ, καὶ τά γε πολλὰ ταῖς τοιαύταις αἰτίαις ἐνοχλούμεθα, μικρῶν ἕνεκα προφάσεων αὐτοί τε πολλὰς ὑπομένοντες ὀχλήσεις, ὁρῶντές τε πολὺ μὲν πλῆθος ἀνδρῶν, πολὺ δὲ γυναικῶν ἐκ τῶν οἰκείων τόπων ἐξανισταμένων, καὶ εἰς ταύτην ἀφικνουμένων τὴν εὐδαίμονα πόλιν, ὧν οἱ πολλοὶ καὶ μεταιτοῦντες, καὶ ἐρανιζόμενοι τοῦτο πράττουσιν. ἔστι δὲ ὅτε καὶ τελευτῶσιν ἐνταῦθα. Εἰ μὲν οὖν ἐνδημοῖεν ἄμφω τῇ χώρᾳ, ὅ, τε ἐνάγων, ὅ, τε ἐναγόμενος, μηδαμῶς εἰς ἑτέραν ἐπαρχίαν τὸ πρᾶγμα ἑλκέσθω, μηδὲ εἰς ταύτην τὴν εὐδαίμονα πόλιν, μήτε ἐκ προνομίου τινὸς, μήτε ἐκ κελεύσεως, ἀλλ' αὐτόθι τεμνέσθω.

Hoc eſt, Nam ſiue magna delicta ſint, ſiue contra- «
ctus, æquè omnibus modis ibi locorum de illis opor- «
tet in iudicio poſtulationē fieri, & (ſi opus ſit) inſcri- «
ptionem, & examinationem, propter paratiorem «
copiam probationum. Similiter ſiue in paruo aliquis «
delinquat, ſiue facto eius delictum maius reddatur, «
quia iuris arbitrio ſe non permittat, ne in minimis «
quidem, ſed præſtoletur dum in aliam regionem «
proficiſcatur, vt ibi in ius ducatūr, déque his litem «
excipiat, quem propter eius potentiam, aut etiam «
ſuam fortè imbecillitatem, ille alter neque eo ipſo «
loco præſentem poſsit, quomodo conuenit, perſe- «
qui.

» qui. Quid enim est indignius, quàm vt qui per sur-
» reptionem bouis fortè, aut equi, aut alicuius iumen-
» ti, aut pecudis, aut (vt minimum dicamus) cohortalis
» gallinæ affectus est iniuria: is cogatur, non in qua
» prouincia id surreptum est, iure agere, sed aliò cur-
» rere, vt illic eorum quæ passus est, probationes exi-
» gantur, & aut vltra æstimationem rei ampliores su-
» stinere expensas, aut inopiam ferre cũ gemitu? Hinc
» magna illa nos quotidie interpellantium multitudo:
» & plerunque ob eiusmodi causas obturbamur: mul-
» tas ipsi importunitates propter tam leues occasio-
» nes excipientes: ingentem præterea tum virorum,
» tum mulierum ex suis commigrantium sedibus, &
» ad almam hanc vrbem venientium, multitudinem
» oculis intuentes: quorum plerique emendicato etiã
» pane hoc agunt, & collecta stipe: aliquando etiam
» hîc vitam finiunt. Si igitur vterq; tam actor, quàm
» reus, in prouincia fuerit, neutiquam in aliam prouin-
» ciam causa, aut in almam hanc vrbem vel ex priui-
» legio aliquo, vel maioris magistratus iussu pertrahi-
» tor, sed ibidẽ deciditor. Altera se nobis eius Prin-
cipis Constitutio obtulit, qua Bailliuorum aut Sene-
scallorũ nuper tradita corroboratur autoritas, cùm
iudices prouinciarum clarissimi, quos hodie Parla-
mentorũ Consiliarios credibile est esse, illius Impera
toris Constitutione de litibus tercentũ aureorũ non
iudicẽt: quarũ plenam decisionẽ ad Defensorem ci-
uitatis voluit mero iure pertinere. Verba autẽ sunt[a]: a § & iudicare. in Auth. de Defensorib. ciuita.
Δικάζειν τε ταῖς δίκαις ἁπάσαις ταῖς χρηματικαῖς μέχρι χρυσῶν
τριακοσίων, καὶ δυναμένων τῶν ὑποτελῶν ἕλκειν τοὺς ἑαυτοῖς

ὑπευθύνους παρὰ τοὺς λαμπροτάτους τῶν ἐπαρχιῶν ἄρχοντας, εἴπερ ἔσω τῆς εἰρημένης τῶν τριακοσίων νομισμάτων ποσότητος ἡ δίκη καθεστήκοι. ἀλλὰ μηδ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ τούτῳ τοὺς διώκοντας πλεῖον ἀποτιμᾶσθαι τὴν δίκην, ἵνα συντρίψωσι τοὺς εὐθυνομένους, μὴ μέντοι τῷ τῆς πόλεως ἐκδίκῳ, ἀλλὰ τῷ τῆς χώρας προσαγαγόντες ἄρχοντι. Ἀλλ᾽ εἴ τι τοιοῦτο πράξαιεν, καὶ ἡ ψῆφος ἐνδείξει ἐλάττονα τὴν δίκην εἶναι τριακοσίων χρυσῶν, καὶ ἐξεπίτηδες ηὐξῆσθαι διὰ τὸ παρὰ τῷ τῆς ἐπαρχίας ἄρχοντι. ἀλλὰ μὴ τῷ τῆς πόλεως ἐκδίκῳ κατεξετασθῆναι μόνον τὸν ἐνάγοντα τῇ πάσῃ τῆς δίκης ὑποβάλλεσθαι ζημίᾳ. Id eſt, Dicántque ius in omnibus pe- «
cuniariis cauſis vſque ad trecentos aureos, nequeun- «
tibus collatoribus noſtris eos, quos ſibi obligatos «
putant, protrahere ad clariſsimos prouinciarum «
Præſides, ſi intra dictam trecentorum ſolidorum «
quantitatem cauſa conſiſtat. Sed neq; actores ea ipſa «
de re litem pluris æſtiment, vt reos conterant, non «
ad Defenſorem ciuitatis, ſed ad loci Præſidem de- «
ductos. Imò ſiquid tale fecerint, & ſententia oſtendat «
cauſam minorem eſſe trecentis ſolidis, deditáque «
opera æſtimationem ampliatam, vt apud Præſidem «
prouinciæ, non apud ciuitatis defenſorem, examina- «
retur, ſolus actor totius litis ſubiiciatur diſpendio. «

Et licet ſub dictione Bailliuorũ aut Seneſcallorũ multæ ſint obnoxiæ aliæ vrbes, aut oppida, nihilominus illi dicuntur Defenſores ciuitatum: quia paruæ illæ ciuitates, aut minuta illa oppida, membra[a] eſſe vidẽtur illius ciuitatis, cui reſpondent. Quare manifeſtus fit eorum error, qui Bailliuos aut Seneſcallos prouinciarum Præſides eſſe exiſtimauerunt: cùm longè abſint à vero[b]. Hunc errorem detegit Vlpianus, qui reſpondit, in prouincia, quam regit Præſes, neminem eſſe, qui eo maius habeat imperium[c] poſt Prin-

a l. qui ex vico. ff. ad municipal.

b Ioann. Coraſ. in titu. ff. de offic. Præ. prouinciar.

c l. Præſes in tertia. ff. de offic. Præſid.

cipem. In confesso autem est, Parlamenta longè maiorem habere iurisdictionem, quàm Senescalli, aut Bailliui habeant, quorum appellationes ad illa deferuntur. Igitur minuenda est eorum opinio qui Bailliuos, aut Senescallos prouinciarum Præsides esse putauerunt: nec Senescalliarum territoria prouincias quis verè dixerit[a]. Conuenientiore vocabulo prouinciolæ nuncupabuntur. In locum ergo Præsidum prouinciæ Parlamenta aptius sunt surrogata, quæ in regno post Principem suprema præcellunt potestate, vt antè copiosius patefeci[b]. Et nescio ipse, quid dedit causam errori, vt vulgus Senescallorum auditorium Curiam Præsidalem voce admodum superba nuncupet: nec locus hæsitandi est lectori. Si opponant, multas prouincias eidem subesse Parlamento, vt Tholosano, in cuius dictione plus quàm vna est prouincia, idem in Parisiensi videmus: ad cuius iurisdictionem multæ latæque prouinciæ referũtur. Non igitur Parlamenta sunt in locum Præsidũ prouinciarum. Cæterùm à sententiis Parlamẽtorũ prouocare non licet[c]: quia, vt diximus, instar sunt Senatus instituta, à quibus non appellatur. A sententiis tamen præsidum prouinciæ ad maiores iudices per appellationem recurritur[d]. Hi tamen duo scrupuli minimè tollunt veritatem anterioris propositionis, qua conclusimus, Parlamenta à maioribus Principis nostri in locum præsidum prouinciæ suffecta esse. Nam licet Præses vni solùm prouinciæ præpositus fuisset[e], Parlamenta autem etsi prouinciolas quàm plurimas intra cancellos sui territorij com-

[a] *Budæus in l. j. ff. de Senato.*

[b] *Nã vt Parlamenta habẽt decurias iudicãtium, ita Præsides prouinciarũ ordinem iudicum habebant. l. j. §. solent. ff. quando appellandum sit.*

[c] *l. j. §. j. ff. d quib. appellare non licet.*

[d] *d. l. j. §. solent. ff. quãd. appel. per locum ab oppositis.*

[e] *l. iij. ff. de offic. Præsid.*

plexa fuerint, vnius tamen prouinciæ loco sunt. Siquidem Princeps definiens limites territorij alicui Parlamento, ex pluribus[a] vnam prouinciam fecisse videtur, diuersum etiam non esset, si Princeps in eadem prouincia, in qua propter nimiam longitudinē aut latitudinem ius non posset facilè reddi, duas instituerit Curias supremas, ex vna prouincia duas[b] egisse videretur. Minus autem alter obex metuendus est de appellatione sententiarum Præsidum prouinciæ: quia in nulla parte iuris scriptum inuenimus, à Præsidibus deuolui appellationes ad aliū, quàm ad Principem. Siquidem olim omniū iudicum appellationes deferebantur ad Imperatorem, licet clarissimi fuissent[c], & maxima præcellentes autoritate, nisi fuisset fortasse sententia à Senatu lata, à qua propter parem cum Principe dignitatem ad ipsum non remittebatur cognitio[d] remedio appellationis. Verùm hodie licet superiorem non habeant Parlamenta, præter illum, cuius censura eorum sententiæ instaurentur, solius Regis potestas eximitur, cui licet iniquè damnatis supplicatorium libellum porrigere[e]: quorum sententias interdum reprobari, & aliquando confirmari meminimus consilio procerum ipsius Principis. Et quia potestas supremarum Curiarum à Principe vim & autoritatem habet, & notionem controuersiarum appellatione remota, vt præfati sumus: ideo stomachari non oportet, si humanissimus Rex noster Bailliuorum aut Senescallorum iudicibus potestatem concesserit decidendi lites vsq; ad prædictū valorem, denegato appellationis auxilio.

a l. si eadē. ff. de offi. assess. notat. in l. fi. ff. de censib.

b d. l. si eadem. ff. de offic. assessor.

c l. ad Imperatorē. ff. de appellat.

d d. l. j. ff. à quib. appell. non licet.

e No. in Authē. quæ supplicatio. C. de precib. Imperato. defer.

lio. Nam testis est Vlpianus, inquiens, Imperatorem sæpe solitum iudices dare[a], vt non liceat ab eis prouocare: vt plerunque à Diuo Marco factitatum est. Extremũ est in hoc opere describere rationes, quarum pondere & viribus admodum dura[b] videtur lex Principis, qua sublatum est remedium appellationis. Est enim vsus appellationis plus quàm necessarius[c], quem aiunt nostri, ex fontibus iuris diuini originem hausisse, pauli Apostoli exemplo, quem ad Cæsarem appellantem, ad ipsum Cesarem perduci, Festus mandauit[d]. Item Princeps, qui abstulit appellationem de sententiis prædicti valoris, iam dictas quantitates esse parui momenti arbitratus est. Satius (inquiunt) egisse pro sua regali bonitate, si distinxisset, inspecta qualitate hominum. parua enim & magna sunt varia propter diuersitatem personarũ. Decem aurei in homine abiectißimæ sortis magni sunt ponderis: in homine verò prædiuite in rebus paruis[e] connumerabuntur. Quare cùm tota cuiusdam tenuißimi hominis substantia sit in quantitate ducẽtarum fortè librarum, miserrimum erit illum priuari suo patrimonio vnicæ sententiæ viribus, cuius iniquitas nullo remedio poßit resecari. Nam sententiæ quæ continet manifestam iniuriam, standũ non esse, quis non videt[f]? Quinimo & si causæ cognitio alicui iudici fuerit commissa cum clausula appellationis remotæ, per superiorem poterit instaurari, si iniquitatem contineat manifestam[g]. Exitus nanq; demonstrat, quantum afferat vtilitatis ad Curias supremas deuolutio appellationis: quia maximam partẽ

a *l.j.§.inter diũ.ff.à quib. appel.non licet. & ca.j. ext.de rescr.*
b *l.prospexit.ff.qui & à quib.*
c *l.j.ff.de appellat.*
d *Act. Apostolo.cap. xxv.*
e *Doct. in Authen.praeterea.C.vnde vir & vxor. Argu.l.tam demẽtis.C.de Episco.audi.*
f *c.inter cæteras.ext.de sentẽ. & re iudi.*
g *Summariũ in d.ca.inter cæteras.*

ad se deuolutarum sententiarum sua grauissima censura reformant: vt qui triumpho & victoria in prima instantia fuerit potitus apud illas infelici euẽtu succumbat[a]. Cæterùm appellatio alteram affert commoditatem litigatoribus: vt si in instruenda serie litis vel processus, aliquid fuerit omissum, aut minùs sufficienter probatum, in secũda instantia appellationis aut suppleri aut magis elucidari poterit[b]. Et tamen, vt videmus, illud beneficium amiserunt rescripto generali Principis. Demum causæ controuersiarum, & hominum dissensiones iustius deciduntur per diuersa tribunalia iudicum, quàm cùm vna tantùm instantia terminantur. quandoquidem certius est iudicium, quod confirmatur sententiis multorum[c]. Addi postremò debet, quòd hæc iurisdictionum reformatio non potest fieri sine iniuria vel iudicum qui in supremis subselliis antè erant constituti, vel ciuitatum, quæ iure antiquo dono Principis Parlamenta sustinent[d]. Ad eas occasione litium magnus confluebat hominum numerus: vndique omnia emolumenta eò exportabantur propter concursum litigatorum[e]. Omnes enim Galliarum opulentissimæ ciuitates rerum omnium abundant, vel propter autoritatem Curiarum, aut mercantium emporia[f]. Et id est maximè euidens. Et ideo labefactare videntur edictum Principis, quòd iniuriam afferat vel ipsis iudicibus, aut eminentioribus ciuitatibus, vbi statitiæ sunt Decuriæ Parlamentorum. Siquidem rescripta ab aula Principis emanantia, suis carent viribus, quæ in detrimenta alior

a l. tale pactum. §. qui prouocauit. ff. de pac.

b In Auth. per hãc. C. de temp. appel.

c c. prudentia. ext. de offi. & potest. iud. deleg.

d d. §. quid enim durius. in Auth. vt omnes obed.

e Arg. d. §. quid enim durius.

f l. j. ff. de nundinis.

aliorum impetrata sunt[a]. Proinde hæc iudiciorum sublimitas ciuitatibus donata est Principum liberalitate quæ beneficentia perennis esse debet: nec potest, nisi vrgente grauissima causa reuocari[b]. Hæc argumenta audiui iactari in aula agens, & circunferri in ore vulgi aduersus hoc præclarum edictum. quæ licet vehementer vrgeant: tentabimus tamen pro modo facultatum nostrarũ, & Dei maximi iuuante auxilio, nodos & vim illorum dissoluere. Ad primum ergo oratio nostra reuertatur. Quod enim vulgari sermone fertur, appellationis vsum frugiferum esse, & maximè vtilem, id in genere locum habet, in specie autem & in certis articulis damnosus & insalubris esse potest, propter temere appellantium peruersitatem: potissimùm in ipsis rebus simplariis, & parui momenti, pro quarum persecutione maius est dispendium sumptus[c], quàm sit legitimus earum valor. Ideo Principes perpendentes procacẽ inconstantiam litigatorum, reíque litigiosæ qualitatem, & actionis conditionem, interdum iudices constituunt ea lege, ne liceat ab eis appellare[d]. Item perniciosum esse aliquando vsum appellandi ex eo satis constat, quòd iudices, ad quos appellantes recurrunt, inferiorum sententias in deterius nonnunquam reformare Vlpianus responderit[e]. Verùm si contingeret eorum censura inferiores legitimè pronuntiasse, spe cadunt appellantes, & patiuntur iacturam impensarum cum periculo grauis mulctæ. Et ita iussit noster Princeps[f]. Et quod dicitur, appellationem, ex fontibus diuini iuris babuisse originem,

a l.ij.§.si quis à Principe. ff. nequid in loco publ.
b l.cùm multa.C. de bon. quæ liber.
c d.§.quid enim durius.
d c.j.ext. de rescrip. & l. j.§. interdũ. ff. à quibus app. nõ licet.
e l. j. ff. de appellat.
f Verba sunt nostri edicti & extãt multæ retro Principũ Cõstitutiones.

id non planè liquet: quia cautum in sacris responsis non est. Nec de Paulo Apostolo appellãte ad Cæsarem satis amplum est paradigma. Imò verius eo loco perspicuum est ex humano iure Romanorum promanauisse, postquam Festus Romanus Proconsul [a] Paulinæ prouocationi detulit, perterritus Cæsaris reuerentia [b]. Cæterùm exemplum illud Pauli temere accõmodatur huic regio edicto, quod tantùm prouocationem abstulit ex ciuilibus causis, vetera autem iura illæsa reliquit in sententiis maleficiorum, in quibus cùm agatur non de fortunis, sed de capite, & nominis æstimatione, propter maius periculum [c] esse appellandum censuit Henricus noster. Postremò quamuis in confesso esset, iuris diuini esse appellationem, aduersus quod nulla valet constitutio [d], lex, aut consuetudo: (siquidem boni Principis est legem diuinam vsque ad sanguinem & animam corroboratam conseruare [e]) valebit tamẽ constitutio, qua generalem rigorem diuini præcepti liceat terrenis Principibus moderari per additionem, vel diminutionem, vt in ea lege, quæ absolutè vetat hominem occidi: & tamẽ mandatis Principum hominum occisio est aliquando permissa [f]. Disimile non est asserendum de Iure ciuili cuiuslibet ciuitatis præclarè fundatæ, quod non recedit à præceptis Iuris naturalis in totum, sed vt bonum & æquum videtur, ei quippiam addit [g], nonnunquam detrahit pro negotij opportunitate. Et tamen propterea verè quisnã dixerit, Ius ciuile aliquid cogitauisse contra præcepta Iuris naturalis [h], quod incorruptũ semper

a d.ca.xxv. in Act. Apost.
b c.vt debitus honos. ext. de app.
c c.vbi periculum. de elect. in sext.
d c. fi. extrà de cõsuetud.
e in can. sunt quidã. xxv. quæst. j.
f In can. non est crudelis. xxiij. q. v. et in l. Græcas. C. de adult.
g l. ius ciuile. ff. de iust. & iur.
h §. sed naturalia. Institut. de iur. nat. gent. & ciuil.

per & permanens erit in hominum purissimis mentibus [a]? Ita noster Princeps non est dicendus flocci-fecisse regulas diuini iuris, à quo illi profitentur appellationes fuisse ortas, licet ex certis casibus appellationibus non esse deferendum decreuerit. Minúsque in verbis edicti, quòd nō distinxerit paruum & magnum ex genere & diuersitate personarū [b]: quia diligenter inspecto fine edicti, & proposita mente Legislatoris, parua & magna summa variæ non censentur ex diuersitate personarum. Habuit in animo Princeps difficultatem itinerū, quibus peruenitur ad appellandum[c], viatici sarcinam intolerabilem ad litis persecutionem[d] paratam, sportulas debitas Iureconsultis, demum xenia quæ iudicibus præstantur[e]: quarum rerum omniū æstimatio longè est maior sorte principali, quæ in iudicium deducitur. Siquidem damnandi sunt illi labores ad rem consequēdam, quibus plus impendimus sumptus[f], quàm res ipsa sit per se deducta. Idcirco Legislator noster Henricus ducentas quinquaginta libras res parui momenti esse putauit, nulla adhibita distinctione, quòd impensa ad persecutionem illarum parata, sit carior, quàm sint ipsæ 250. lib. Ideo satius est illis carere, quàm illarū amore tot incommoda pati [g]. Deinceps licet graue sit & miserum aliquem vna sententia amittere totum patrimonium, quod in dicta quantitate fortasse consistet: longè miserabilius tamen erit, amore externarum rerū, aut vilissimi fundi, vitam finire, quæ omnibus fortunis externis dulcior esse debet [h]. Quandoquidem plerique in perse-

a Pau. 2. ad Rom.

b d. Authē. preterea.

c d. §. quid enim durius.

d arg. l. si instituta. §. de inofficioso. ff. de inoff. test.

e in §. tripli ci. Institu. de actio. & §. nullo. in Authen. de iudi.

f l. mediterraneæ. C. de annon. & tribut. lib. x.

g d. §. quid enim durius.

h In Canon. præcipimus xvj. q. v.

cutione paruarum rerum procul à patria moriũntur [a]. Supereſt, vt alium obicem tollamus de ſententia continente manifeſtam iniquitatem: quia ille, pro ſua regali bonitate ſatis commodè prouidit per libellum erroris theſim cõtinentem, quem diiudicabunt celeberrimi nominis Aduocati à magiſtratibus eiuſdem Curiæ accerſiti. Et licet iidem ſint ferè iudices, qui erroneam ſententiam pronuntiauerunt: verebuntur tamen ſuum errorem impudentiſsimè tueri: præſertim in conſpectu exercitatiſsimorum Aduocatorum. Pudere verò non debet errores noſtros caſtigare, & in melius ſententias reformare. Non enim ſententiam mutantem aſpernatur Prætor [b]. Et ſi contendas ſuſtinere vſum & emolumenta appellationum, eò quòd illi bonam partem ſententiarum ad ſe deuolutarum corrigant & emendent, vt ſæpe conſpicimus: minùs nos hoc argumentum perturbat: quia idem malum euenire videmus Areſtis Parlamentorum: quæ ſi fortè placito Principis ad ſuum ampliſsimum conſilium referantur, aut ad aliam Curiam ſupremam, licet iuſtè lata ſint [c], reformantur. Innata eſt enim hominibus quædam cõtradicendi cupiditas [d], nec voto viuitur vno: quia variæ ſunt hominum voluntates [e]: & tanta eſt malignãtium inter ſe diſſenſio, vt ſi Princeps ſineret appellare de Tholoſana ad Burdigalenſem, rurſus ex ea ad Pariſienſem, & ex Pariſienſi ad Rhotomagenſem Curiam, demum ad ipſum Imperatorem, minimè deeſſent infortunati litigatores, qui ter prouocarẽt. Ideo à Romanis Imperatoribus præcluſa [f] eſt via toties

a d. §. quid enim durius.

b l. nonnunquam. ff. de coll. bon. & Dynus in regul. quod ſemel. Canon. in c. bonæ. ext. de poſtulat. Prælato.

c Doct. in d. Authẽ. quæ ſupplicatio. C. de precibus Impera. offer.

d l. item ſi vnus. §. principaliter. ff. de recep. arbitr.

e l. quia poterat. ff. ad Trebell.

f l. j. C. ne liceat tertiò prouoc.

toties appellandi. Nec grauatè feremus, si in prima (vt aiunt) instantia iura reddant Præsidales iudices, appellatione remota: præsertim in causis priuilegiatis, & quæ iure singulari tractantur: quia si verus sit communis sensus de ciuitatis Defensore, (quamuis eum antè fuerimus aliter interpretati) is cognoscit de summa 250. aureorum, excluso omni prouocationis auxilio: quem loco ordinarij iudicis vulgus esse autumat [a]. quam notionem illi tradidit Iustinianus in prima & vltima instantia vsq; ad dictam concurrentem quantitatem. Legit enim Princeps eos iudices, & magnos Iuris magistros, qui in scholis Iureconsultorum diutius fuerunt exercitati, quos credidit [b] non aliter iudicaturos, quàm ipsum bonum expostulat, propter singularem eorum prudentiam. Et licet sit magna differentia iudicum ingenij & artis [c]: ij tamen quos voluit Princeps de his modicis rebus cognoscere, ex eadem prodeunt officina [d], vnde ad supremos illos magistratus alii erigũtur. Miror, quòd illi non moueantur liberalitate Principis, qui nuper suà edictali lege largitus fuerat suorum tributorum [e] Curiis notionem omnium controuersiarum, quæ super decimis, quas ipse ex sacerdotiis percipit, emergũt, tam in prima instantia, quàm vltima, id est, appellatione remota, quæ controuersiæ centies millies maiores esse possunt. Et tamẽ obmurmurant, quòd ille supremam iurisdictionẽ Senescallis dederit de rebus bis centum quinquaginta librarum, quas ganeo fortè aut scortator aliquis pestilens vnius aleæ iactu luserit, aut adolescẽs luxuriosus [f] in

a d. §. & iudicare. in Authen. de Defensor. ciuit.

b l. vnic. ff. de offic. Præfect. prætor.

c l. inter artifices. ff. de solutionib.

d In proœmio Digestorum.

e Nuper fuit publicatũ edictũ in hac Curia Generalium.

f l. si verò non remunerandi. §. si adolescens. ff. mandati. no. in Auth. alearũ vsus. C. de religio.

scortum profuderit. Cæterùm Parlamentorum Decuriæ nónne prima & vltima instantia de causis emergentibus cognoscunt, si quid fortè incidat appellationi ad se deuolutæ, ne causæ diuidatur continentia [a] ?Et tamẽ emergens illud valore potest superare rem principalem[b], de qua ad ipsos Senatores migrauit appellatio. Adde, si lubet, autoritatem, quæ à priscis seculis ad Præpositos Marescallorum, id est, latrunculatores [c], pertinet, quæ improborum querelas conuincit. Illi prima & vltima instantia ius reddunt, temere fortè adhibito consilio, non de rebus, sed de personis: quorum iudicia hominis liberi statum diminuũt. Quinetiam hac vitali aura sæpissimè priuant, & post animaduersionem expletã, appellationi minimè deferentes, ad Principem rescribunt [d]. Quæ iudicia sunt longè acerbiora [e] sententiis Senescallorum aut Bailliuorũ, qui de rebus parui momenti appellatione remota pronuntiant. Nec obest, quòd supplicatio ad aliud valeat, nempe ad supplendas omissas probationes [f] in prima instantia: quia iure ciuilis libelli, quã Requestam appellant, succursum [g] esse voluit optimus ille Princeps, quo instrumentis recenter inuentis, quasi per in integrum restitutionẽ, apud eosdem rescinduntur priora iudicia, vel si fortè falsis allegationibus prolata fuerint [h]. Qui libellus, quantum ad probationes nouas attinet, vim habet appellationis. Siquidem nemo est ratione optimã pollẽs, qui priorem suam sententiam nouis & emergentibus [i] rebus mutare non gaudeat. Reliquum est autem demonstrare, huius

edicti

a l.nulli.C.de iudiciis.
b l.pen.C.de ord.iudic.
c l.solẽnis.§.latruncula-tor.ff.de iud.
d l.si quis filio exhæreda-to.§.hi autẽ.ff.de iniust.rupt.irrit.testam. & ar. l.j.C.quand. lice.vnicuiq; sine iud.vin. e Not.in l.vnic.C.quãd.ciuil.act.crimi.præiudicet.& l.imperium.ff.de iur.omn.iud.
f d.Authẽ.per hanc.
g Auth.quæ supplicatio.C.de precib.Imp.offer.
h l.Diuus.& l.Imperatores.ff.de re iudic.
i l.j.ff.de vent.inspic.

edicti æquitatem esse sine iniuria iudicũ supremi illius Senatus, quibus ante huius edicti pronũtiationẽ omnium litium cõcessa erat iurisdictio:cùm salaria eis de publico præscripta, propter has Curias Præsidales nequaquã sint imminuta. Labor verò & operæ in decisione controuersiarũ, beneficio huius edicti illos minùs vrgent. Ideo salariũ ipse resecare[a] potuisset, quòd integrum sanctissimè illis reliquit. Non enim debet tunc dominus malè audire apud mercenarium, si diurno nocturnóq; opere diminuto, integrum salariũ pendat, & æquè magnũ, ac si totas operas præstiterit. Imò clemẽtia[b] & bonitate maxima est laudandus. Errant igitur magistratus turpiter, si metiri velint potestatem sibi à Principe datam ex proportione lucri, quòd hauriunt ex litigatoribus, cùm sit æstimanda tantùm ex mercede de publico[c] præscripta, non autem ex fortuito illo quæstu litium, qui ἔξωθεν. & συμβεβηκῶς ad iudices ipsos peruenit. Augmentum enim fortuitum[d] & casuale minimè est inspiciendum. Proinde hæc tenuissimarum causarum subtractio damno non est, si acutè perpendatur, Parlamentorum Consiliariis. Quin potius iuuat eorum rem familiarem & domesticam, tum quia publica negotia propter illam subtractionem minùs torquebunt eorum cogitationes, quæ nonnunquam sunt impedimento rebus priuatis[e]: tum etiam, si ad pondus & mensuram respicias sportularum, quæ ex singulis litibus iam decisis illis tribuuntur. Maiorem quippe fructum habituri sunt ex vna, quàm ex decem minutulis causis. Crescũt[f] & decre-

a l. Seio. ff. de ann. legat.
b In Euang. Matthæi de eo qui tantũ soluit mercenariis, qui à meridie vsq; ad vesperam fuerũt in vinea, quãtum iis, qui toto die. & in l. diẽ functo. ff. de offi. assess.
c Not. in §. scriptum est exẽplar. Auth. vt iud. sine quoq. suffrag.
d l. Rutilia Polla. ff. de cõtrah. emp.
e Cic. 1. offic. ex Platonis sententia.
f §. tripli. Instit. de actionib. Mel. in §. si quis autem. in versi. ne autem. in Authen. de iud. coll. vj.

ſcunt ſportulæ, habita ſemper ratione rerum, dè quibus in iudicio diſceptatur inter partes. Vltimum ſupereſt diluere ſcrupulum de hoc edicto, quòd iniurium & nocens videatur ciuitatibus, in quibus ſtatus eſt ordo Senatuum, partim quòd ſecundum quid eorum prærogatiua dignitas eſt decreſcens, partim quòd tanta hominum multitudo ad eas non confluit, vt antè nos diximus. Sed hæc damna parui facit Rex noſter, dummodo proſit reliquis ciuitatibus prouinciarum. Quemadmodum enim ſingulorum iniuriæ [a] ſæpe tolerantur, vt reipublicæ conditio melior exiſtat: ita Princeps reſecare poteſt alicuius eximiæ ciuitatis priuilegia, præſertim ſi redundent [b] in iniuriam & perniciem alicuius prouinciæ. Nam homines aliarum ciuitatum ſuum artificium deſerebant, coniuges, & liberos dulciſsimos, occaſione paruarum rerum moti, vt lites infauſtas, velut ore hiante, in ciuitatibus Parlamentorum inſectarentur. Paterfamilias nequaquam probandus eſſet, qui cùm plures haberet liberos, totam ſubſtantiam in vnum transferret [c], & alios in egeſtate perpetua ſineret viuere. Ita Princeps regali ſua bonitate indignum eſſe cenſuit, ſi reliquas ciuitates alicuius prouinciæ ſineret eſſe deſertas, vt ex his vnam abundè locupletaret, & quaſi vaſtiſsimum quoddam pelagus augeret, in aliarum detrimentum & iniuriam [d]. Intereſt quoque Principis, vniuerſas ciuitates, quibus dominatur, eſſe opulentas, & nullius rei egere [e], vt hominum ingens multitudo

prud

a In Auth. res quæ.C.cõmun.de lega. & l.Lucius. ff.de euict.et l.fi.§.fi ff.de pign.act.
b In cap.ſuper ſpecula. ext.de priui.
c In §.aliud quoque capituli. in Authen.vt cùm de appellat.
d In l.cætera.§.ſed & ſiquis.in verſic.ſed videamus.ff. de legat.j
e Not.in l. vnic.C.de priuileg. corpo. vrb. Ro. & in l.vni.C.de priuil. vrbis Conſtantinopol.lib.y.

prudentium in iis vrbibus posit generari, quorum procreatio[a] reipublicæ Principis nostri posit aliquando esse salubris[b]. Deinceps nemo inficias ibit, Principem fontem esse irriguum, & naturalem originem totius iurisdictionis, neminémque præditum esse aliqua specie iurisdictionis, nisi à Principe eam, vel à lege habuerit[c]. Item negare non audebunt, iurisdictionem solùm à Principe concedi, quàm diu illi placuerit, ita vt ad nutum ipsius posit quandocunque reuocari[d], instar precarij. Ciuitates enim, quas Princeps præficit iuri dicundo, sunt depositariæ ab illo, & velut custodes iurisdictionis. Ideo sic censere non debent, si depositum, aut illius partem, ille repetierit. Quinimo contra bonam fidem fecerint, si fuerint ipsum inficiati[e]. Et sicut iurisdictionem non abdicarent, nisi Principe consentiente, ita eo reluctante retinere non possunt[f]. Idcirco infensi esse non debent, si Princeps amplisimarum diuitiarum portiunculas aliquot ciuitatibus distribuerit. Et id regali munificentiæ maximè est consentaneum, vt in vulgus hominum aliquid liberalitatis nomine spargat[g], quò constet Regis dominationem toti populo iucundisimam fuisse. Et hæc explicanda esse duxi, quæ pertinent ad primum caput edicti. Sed iam se offert occasio exponendi dubitationes ex verbis edicti emergentes.

a l.j.ff.solut. matrimo.

b l.j.§.& generaliter. ff.de vent. in possess.mitte.

c l.j.ff.de offic. eius cui mandata est iurisdict.& Doc.in l. imperium.

d Bart.in l. iurisperitos. per illũ text. ff.de excusa. tutor.

e l.bona fides.ff.depos.

f l.pen.ff.de offic.Præsid.

g Institu.de rerum diuisi.

Utrùm Consiliariorum ordo planè sit compositus,

CAPVT II.



RAESIDALES Iudices,& Consiliarij electi sunt ad decisionem causarum, tam extraordinariam, quàm ordinariam iurisdictionem habentes. Vnde eorum iudicia partim suprema sunt, quæ nullius superioris subsunt censuræ, (& ita Principi placuit[a]) partim sunt subalterna, id est, ad summorum iudicum autoritatem delata[b]. Ideo Princeps sic ordinauit, ne sublimes essent: Parlamenta in superiore gradu collocauit: præsertim in litibus ordinariis, id est, prædictam quantitatem excedentibus[c]: & ne eorum pressa nimis esset iurisdictio, in quodam causarum genere eos voluit iudicare appellatione remota: & ne ob id quidem superbiæ flatu eleuarentur, superiores iudices illis addidit: in aliis verò extraordinariis Parlamentorum iudicibus eos pares esse placuit. Omnibus autem gradibus dignitatum[d] quoddam temperamentum voluit inesse Princeps noster, ne plus aut minus politiarum ordinem perturbare videantur[e]. Ideo ponderis temperatura vniuersos ordines[f] dignitatum in suo ordine coæquandos rectissimè sanxit. Ipse tamen vellem, & ita semper desideraui, vt iudices illos Præsidales simplices, & absolutos, aut simplarios instituisset, non autem mistos, vt ius redderent tantùm de bis centum quinquaginta librarum quæstionibus: & si fortè de maiori summa lis inter homines eiusdem territorij oriretur, ab ea notione illi abstinerent: de quibus haberent iurisdictionem

a l.j.§.interdũ.ff.à quib. appel. nõ lic.
b l.si qui separatim.ff. de appel.
c l.placet.C. de ped. iudi.

d l.j.C.vt dignitatũ ord. seruet. li.xij.
e Aristo.v. Ethic.
f l.j.ff. de alb.scrib.& l.j.C.de Coss. lib.xij.

nem

nem alterius generis Consiliarij, à Principe creati, à quorum sententiis semper posset ad ipsa Parlamenta, aut ad alias Curias supremas prouocari, quorum Consiliariorum noua illa creatione [a] ærarium Principis abundè expleri posset: & illi Præsidales magistratus, instar Curiarum supremarum [b] ad alios maiores iudices nequaquam reducerentur: quia eorum omnes sententiæ arestorum robur & vim obtinerent, quæ supplicationis illis porrectæ beneficio tantùm poterunt instaurari [c]. Eo tamen ordine, quo nunc creati sunt, chamæleontis figuram gerere videntur, quem per tactum corporis in omnem ferè speciem coloris mutari Aristoteles asserit [d]. Ita illos modò supremos, modò inferiores iudices esse decretum est pro rei controuersæ qualitate, & quantitate iudicij inchoati, adeò vt quod de Hermaphrodito [e] dicitur, veriùs de his dubitetur, vtra iurisdictione magis polleant, ordinariáne, an extraordinaria: quarum iurisdictionum concursus in eodem magistratu [f] parum congruit. Et eò magis eorum iudicia videntur corruere, quòd diuerso iure eorum autoritates censentur, partim sublimes, partim obnoxiæ maiori tribunali. Diuersi enim iuris dispositionem [g] ciuilis prudentia odio habet. Cæterùm nihil est quod magis in officio & obseruãtia multitudinem imperitam contineat, quàm si hominibus in dignitate constitutis confidat [h], & si eorum æstimationi plurimum condonauerit. Contrà verò sententiæ illorum pessum ibunt, si apud vulgus rude contemptibiles [i] sint, quod euenire nunc conspicimus: quia

a §. quoniã subiectorũ. in Authẽ. vt iudices sine quoq. suffra.
b Innuit Budæus. in d. l. fina. ff. de Senatorib.
c In Auth. quæ supplicatio. C. de precib. Impe. offer. & in §. aliud. in Authẽ. vt spõsa lit. larg.
d Aristoteles lib. j. Ethicor.
e l. quæritur. ff. de stat. ho.
f In c. diuersis fallatiis. extr. de cler. coniuga. & in l. Mutius. ff. pro socio.
g l. eum qui ædes. ff. de vsur.
h In cap. omnis anima. xj. quæst. iij.
i l. obseruãdũ. ff. de offi. præsid.

cùm ſupremi illi magiſtratus ordinariam iuriſdictio nem Præſidalium reformant, quamuis iuſtæ fidei, quam de ipſis vulgus debet habere, derogatur, & pro fabula habẽtur Areſta ab ipſis Præſidalibus pronuntiata. Siquidem credi poteſt, errorem iuris vel facti illis ineſſe, ſicut ordinariæ iuriſdictioni, quem quotidie illi detegũt. Qui enim in vno falſum dixiſſe ſemel comprobatus fuerit, in reliquis mendax[a] eſſe intelligitur. Idem de errore fatendum eſt. Ideo ſupremæ illorum iuriſdictionis autoritas cõtemnitur, quando ſubalternæ eorum ſententiæ à Parlamentorum iudicibus in melius reformantur, quandoquidẽ culpam vnius actus ad omnia ſequentia opera extẽdi ſæpiſsimè videmus. Rectè itaq; facturum Principem æſtimarem, ſi ordinariam iuriſdictionem detraheret à nouis illis Conſiliariis, vt tantùm extraordinaria cognoſcerent, quæ intra metas edicti ſolùm verſatur. Deſerunt ipſi quidem litigatorum iurgia, eáq; indeciſa relinquunt, vt quiſq; tueatur ſuam iuriſdictionem: & ita ordo confunditur[b]. Nec debet grauatè ferre princeps, quòd hæc ſcripſerim de hoc magiſtratuum ordine, qui habet cor rectum[c] ad excolenda officia iuſtitiæ. Siquidem illuſtriſsimi Reges, quorum iucundiſsimam habemus memoriam, multos magiſtratus, à ſe vel à maioribus ſuis creatos abrogauerunt, ſi æquitati & iuſtitiæ aliquando damnoſi[d] fuiſſent. Idem feciſſe rempub. Romanorum, quæ totius orbis tenebat imperium, legimus[e]. Boni enim Principis eſt, mutare leges[f] pro rei opportunitate. Cur igitur magiſtratuum dignitates non poterit

a Felin. in c. fraternitatis. ext. de hæret. Iacobus Apoſto in j. Epiſtol. cùm inquit, Qui peccauit in vno, factus eſt reus omnium.

b In c. peruenit. xj. quæ. j. & l. j. ff. ſi quis ius dicẽ. non obtemp.

c l. inter claræ. C. de ſum. Tri. & fide cathol.

d In Annalib. Reg.


e l. ij. ff. de orig. iur.

f In c. nõ debeat. extr. de conſang. & affini.

rit alterare, vel corrigere, si mutatio eiusmodi reipublicæ sui regni profutura videatur?

Præsidales Iudices, & Consiliarij habere non debent à litigatoribus sportulas, quas species vulgò appellant.

CAPVT III.



ETVS quæstio in aula Principum fuit agitata de modo sportularum, quas ex singulis litibus iudices exhauriunt: vulgo reportum aut species nominant. In omnibus auditoriis Curiarum earum præfinitio pro modo litis [a] & causæ fuit recepta, & corroborata diutina consuetudine: cui dedit causam humana necessitas, in qua iudices incumbunt: & ne in litium decisione labor sit sine mercede [b] Debet enim à litigatoribus tantùm suppeditari, quantùm sat esse videbitur victui mediocri [c]. Parum esset conueniens dignitati, si rerum essent indigentes, qui omnium abundātia eos antecellere debent, quorum futuri sunt iudices: & id quidem ne despectui sint hominibus propter paupertatis vilitatem [d]. Duo quidem sunt, quibus inualuit consuetudo iudicum de recipiendis sportulis: tarditas & pigritia ipsorum iudicantium: altera est incredibilis & effrænata celeritas ipsorum litigantium: quia molestus est labor in diiudicandis litibus, cùm sit graue suscipere inimicitias [e] eorum, qui in iudiciis succumbunt. Ideo nemo Consiliariorū causarum definitioni adesse vellet, nisi esset calcari punctus, aut illectus sportularū dulcedine. Futuræ enim mercedis [f] spes grauitatem laboris iucundiorem efficit. Quandoquidem iudicum negligentia, vel tar-

a In §. tripli. Instit. de act.
b In §. si quis autē. in Authen. de iudi.
c In §. scriptum est exemplar huius. in fi. Authen. vt iudi. sine quoq. suffra. & arg. c. cùm secundùm Apostolum. extr. de præbend.
d In §. his qui causas. in Authent. de iudi.
e Experientia est magistra.
f Arg. l. vnica. C. de suffra. & d. §. si quis autē. ff. de iudi.

ditate, lites (quarũ curſus triennalis tantùm eſſe debet[a]) in æuum perpetuum extendi perſpicimus, licet ad definitionem controuerſiarũ ingens quæſtus eos inuitauerit: longéq; eos pigriores[b] fore exiſtimauerint, ſi gratis & mercede nulla deliniti, ad iudicandũ procederent. Cæterùm vſus ferueſcens litigãdi fuit in cauſa, vt à Principe permitterentur ſportulæ, quò ſeditioſorum hominum in litigãdo compeſceretur audacia[c]. Quotus enim quiſq; eſt, qui audacius fratrem in iudicio nõ interpellaret, ſi gratis haberet iudices, & mercede nulla conductos: cùm numeroſis ſportulis & fortaſſe grauioribus, quàm in iudicium deducta res ſit, à litibus pleriq; nõ deterreantur? Intolerabile enim pondus impenſarum formidoloſos homines à litibus abhorrere ſæpiſsimè cogit[d]. Demum ſi ſalariũ publicũ, quod iudicibus præſcripſit Princeps, ipſis ſufficeret, nec aliud commodũ ſportularum expectarent, temerarij litigatores nõ eſſent in cõditione deteriore poſiti[e], quàm humani litium cõtemptores, cùm omnes teneantur ex æquo ad cõtributionem publici ſalarij[f]. Verùm ſi tam ſit tenuis cauſa, vt ſumptus rem ipſam ſuperet, aut propter egeſtatem in præſtatione litigator minimè ſit ſufficiens: eo caſu gratis ius eſſe reddendũ[g] præcipit Imperator. Ideo litigantiũ penuria peruerſam illã conſuetudinẽ reſtringit. Ipſe tamen, accuratius perpenſo negotio, in ea ſemper fui hæreſi, & ſententia, vt crediderim improbũ eſſe vſum ſportularũ, quas à litigatoribus iudices extorquẽt. Siquidẽ in omni parte iuris venalitia iudicia reprobãtur[h]. Quid verò eſt aliud

a *l. properãdũ. C. de iudi.*

b *Arg. Auth. multò magis. C. de ſac. ſanc. eccleſi.*

c *Argum. l. quod debetur. ff. de peculio.*

d *l. j. ff. de inoffic. teſta.*

e *c. eum qui. in ſext. de preb.*

f *l. vnica. C. de iud. lib. x.*

g *§. ſi tibi quoq;. in Authẽ. de mãd. Princip.*

h *l. venales. C. quand. prouoca. non eſt neceſſe.*

aliud venales eſſe ſententias, quàm pro ſentẽtiis obtinendis pecuniã offerre aut accipere? Si vera ſit eorum iactantia, qua gloriantur ſe prouinciarũ Præſides eſſe, in quibus omnia munera prohibita ſunt, præter eſculenta & poculenta[a], quæ intra paucos dies prodigãtur: neq; ſportulas, neq; aliud quippiam accipere debent. Quinimo ex Heſiodi ſententia munerum largitiones in iudicibus improbantur propter ſordium infectionem, eóſque doniuoros appellat, inquiens[b], ---Ἄλλα τε πολλὰ

Ἁρπάζων ἐφόρεις μέγα κυδαίνων βασιλῆας

Δωροφάγους, οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσαι.

Id eſt, ---*Rapta*

Plurima iudicibus ſic corrumpendo dediſti

Doniuoris, hanc qui cupiunt diſcernere litem.

Memores ſumus & ipſi, ab eo tempore, quo forum circũcurrimus, multos egentiſsimos homunciones iniurias atroces fuiſſe paſſos, quarũ vltionẽ non ſunt auſi deducere in iudiciũ prætextu duriſsimæ paupertatis, cuius mole ad ſportularum penſionẽ[c] erant inſufficientes. Deinceps cõparatio non eſt inepta ſacerdotiorũ eccleſiaſticorũ[d] cum publicis magiſtratibus. Atqui illorũ miniſtri nihil debẽt accipere ab his, qui res ſacras peragunt[e], ne ſimoniæ labe teneantur, præter decimas & voluntarias oblationes. Ita neq; illi magiſtratus, præter publicũ ſtipendiũ, nihil habere debent ratione publicæ functionis. Cæterùm turba magna & graues diſſenſiones inter fratres Conſiliarios ſuboriũtur in rationibus ſportularum, quia aliis largius, aliis verò ſtrictius præfiniuntur, non inſpecta

a *l. plebiſcito. ff. de offi. Præſid.*

b *Heſid. ἔργων, καὶ ἡμέρων β'.*

c *Arg. d. §. ſi tibi quoq;. in Auth. de mãd. Princi.*

d *Bart. in l. j. ff. ad leg. Iul. de ambi.*

e *ca. cùm in eccleſia. ext. de ſimon.*

condicione personarũ[a],nec qualitate litis:ita vt propriis cõmoditatibus inseruiẽtes, plurima sint perturbatione affecti,quæ distrahit animũ à veritatis cognitione[b],maximè in dirimendis litibus.Est item aliud, quod me in hanc opinionẽ perduxit,videlicet quòd sint sibiipsis iudices[c] ad suum cõmodũ, largè interdum præfinientes modũ sportularũ, quod abhorret ab omni dispositione iuris. Aberrant igitur iudices illi, & procul sunt à vero, si in functione officij aut dignitatis ad amplissimas diuitias ratione magistratus peruenerint.Tam graue fortasse est scelus, magistratũ[d] locupletẽ fieri in dicẽdo iure,quãtũ est sacerdotem in rebus sacris & diuinis mercaturã ignominiosè exercere.Ille enim ius suũ cuiq; reddens, meritò sacerdos[e] dici potest. Exitus autẽ illarũ diuitiarum,malè quæsitas esse manifestè demõstrat,quæ citò dilabũtur,& cum Simone Mago in æternæ salutis interitũ possessorẽ infeliciter trahũt[f]. Et id,quò magis abolendũ vsum sportularũ putauerim,est insatiabilis cupiditas quorũdam iudicũ,aut Consiliariorũ, qui vt loculos infaustos impleant,ex sanguine litigãtiũ,sæpe interloquũtur,cùm diffinitiuè negotia decidere valeant,& plures aliquãdo euomũt sentẽtias in litis decisione,cùm vna tantũ sufficeret.Faciũt enim ex industria,vt ex litibus oriãtur infinitæ lites[g], quas totis viribus dirimere[h] debent, non autẽ in immensum protẽdere.Serpsit autẽ paulatim hæc barbara & immanis cõsuetudo ex eo quòd xenia quædã admodũ exigua olim litigatores iudicibus offerebãt, tãtũ excitãdi gratia : quæ repudiare aut omnino nõ accipere

per e

a Cõtra verba & mentẽ nostri edict. & l. vti liber.C.de collatio.
b Cato: Impedit ira animũ, ne possit cernere verum.
c l.vnica.C. nequis in sua causa iudicet. Accurs. in propriis terminis, in l. de iure. ff. ad municip.
d l.vnica.C. de contract. iud.
e l. j. ff. de iusti.& iur.
f Scripsi in §.tripli. Institu. de act.
g l.iij.§.ait Prætor. ff.de re iudi.
h l.quidam existimauerũt.ff.si cert. pet.

pere erat inhumanũ[a]: vnde nomen adhuc retinetur, species, proprietate vocis liberalitatem[b], nõ necessitatem indicante. Idcirco hæc vorago sportularum, hæc infernalis hirudo, quæ substantiam pauperum exhaurit, rectum impedit iudicium[c], & iustitiæ officia omnino labefactat & destruit. Incommoda autem hæc non latuerũt[d] Principem Iustinianum, quibus torquentur subiecti ob exactionem immoderatam sportularum: minimeque ignorauit vtilitates, quibus augebuntur res domesticæ singulorum, si litigatores immunes sint à iudicibus per abolitionem sportularum: quamuis quæstus immodicus imperio fuerit attenuatus, fortassis quòd ex fisco maiora assignabantur stipẽdia iudicibus, quæ ad mediocrem victum sufficerent pro conditione personarum, & officij qualitate perpensa. Ea enim ratione fiscus imperialis, licet eius quæstus esset diminutus, locupletibus hominibus abundaret[e]. quo ordine introducto, plurima rerũ vbertas esset in imperio, & populis: quò fieret vt Princeps & populus omnium abundarent[f], quibus iter esset interclusum hostibus, vt ad bellum inferendum nobis formidolosi, & non audaces existerent, & illorum vires abiectæ essent, quorum animis tunc prostratis Princeps noster totius orbis imperium facilè obtineret. Demum obliuioni tradendum non est, quòd quidam mali iudices, cùm vidẽt causam esse pauperis cuiusdam contra potentissimum[g], qui nullam litigandi habet occasionem, paupérque ille minùs sufficeret ad præstationem sportularũ: ideo illi auaritia corrupti suf-

a l. solet. §. vetus. ff. de offi. procons.
b d.l. plebiscito. ff. de offic. præsid.
c c. cùm ab omni. in fin. ext. de vit. et hon. cler.
d §. consideremus. in Auth. vt iudi. sine quoq. suffra.
e d. §. consideremus. gl. in c. cùm ecclesiasticæ. extra de except.
f l. ij. & l. mercatores. C. de cõmerc. & mercat.
g Arg. l. iij. ff. de alienat. iud. mutand. caus. fact.

fragium & calculos præbent in fauorem & gratiam potentioris, qui promptas in manu ſportulas litis relatori exhibet, quamuis iuſtè ſecundum legem vinci debuerit. Hic eſt finis, hæc ſunt nefaria pericula ſportularum, viri Chriſtiani. Non dubito ipſe, quin Principis [a] recta fuerit mens & animus peruigil in futuris malis euitandis: qua peſte & atra lue totam Galliam ille purgabit, ſi edixerit, amplius non eſſe locum ſportulis, & præſcripſerit [b] vel ex fiſco, vel ex publico victui honeſto iudicũ ſalaria conuenientia, ne mendicare, aut clanculum iudicia venundare cogerentur: quibus ſufficienter conſtitutis, ſi vllus iudicum aut Conſiliariorum eam legem temere violare præſumpſerit, & aliquid fuerit auſus accipere, præter eſculenta & poculenta [c], quæ intra paucos dies prodigantur, ſupplicio à Cambiſe [d] lege inuento ſubiiciatur, qui malum quẽdam iudicem viuum iuſsit excoriari, vt metu tantæ ſeueritatis alij iudices ad vendẽda iudicia fiant tardiores [e]. Ex his ſatis conſtat, nihil aut parum roboris habere rationes, quibus inoleuit peruerſa illa conſuetudo de iudicũ ſportulis. Nã leges omnes, quæ loquuntur de eo genere ſportularũ, deciſionẽ [f] ſolũ tradũt de ſportulis, quas pedanei aut delegati iudices percipiũt, qui ex publico, aut ex fiſco nullum percipiunt ſalarium.

a l. in fundo. ff. de rei vẽd. l. ij. C. de prætor. pign.
b d. §. ſcriptum eſt exẽplar. d. §. conſideremus. in Auth. vt iudi. ſine quoq. ſuffrag. Vide gloſ. in d. c. cũ ab omni. extr. de vita & hon. cler.
c d. l. plebiſcito.
d Val. Max. lib. vj. ca. iij. tit. de ſeueritate.
e l. aut facta. §. fin. ff. de pœn.
f d. §. is qui cauſis. in authen. de iud.
g l. ad rẽpub. ff. de munerib. et honorib.

Cuius ætatis eſſe debent Præſidales iudices. CAP. IIII.



HAC edictali lege prohibitum eſt, ne quis huic [g] ordini Conſiliariorum adſcribatur ante ætatem XXV. annorum: quia qui aliis præeſſe volunt, in ætate perfecta debent

eſſe

esse constituti: qualis esse non potest ante illud tempus[a]. Siquidem morum integritas, in qua excellere debent huiusmodi iudices, corporis temperaturam sequitur[b], cùm sit symmetrica quædam proportio[c] corporum & animorum. Hæc autem temperatura non facilè perspicitur in adolescente, tum propter sanguinis feruorem, qui ipsum ad omne genus illecebrarúm[d] nefariè inuitat, tum propter rerum inscitiam, in qua lubrica illa ætas quotidie versatur: quia qui ad iudicandum in foro accedere volunt, præter summum prudentiæ lumen, magno rerum vsu præstare debent[e]. Huius enim ciuilis disciplinæ exercitatio non est propter cognitionem tantùm, cuius pueri sunt capaces, sed propter vsum[f], & praxin[g], cuius expers est minor annis XXV. Ad vsus enim acquisitionem nos longo tempore indigemus: cuius labenti curriculo omnes humanas artes incrementū suscipere Martianus[h] notauit. Verùm Romani adolescentes, ne in otio vitam degerent, ante ætatem illam in foro erant auscultatores, quos Græci vocāt ἀκουσυκοὺς καὶ ἐχεμύθους[i], & censendi habebant immunitatem. Ipse tamen adolescētibus quibusdam ad functionem magistratus aditū minimè intercluderem, si morum honestate frugē paternam, vel auorum sanctimoniam, aut maiorum antiquam grauitatem videantur redolere. Quo casu, si me Princeps audiret[k], ætatis venia essent donādi. Nam Apostolus Paulus Episcopatus dignitatem Timotheo[l] nō denegauit propter ætatis lubricum: quippe cùm admirabilis in eo virtus adolescentiæ

a l. si maritus. §. lex Iulia. ff. de adult.
b Galen. in libello, cui titulus, Quòd animi mores corporis temperamentum sequantur.
c Aristotel. in ij. de anim.
d l. si verò nō remunerādi. §. adolescēs. ff. mandati.
e §. j. circa medium. in Authent. de iud.
f Aristot. j. Eth.
g l. ij. C. de sal. mon.
h l. legalis. §. ornatricibus. ff. de legat. iij.
i Budæus in d. l. ad rēpub.
k l. ij. C. de ijs qui ven. ætat impetr.
l Paulus j. ad Timoth.

imbecillitatem pensaret. Idem in Iure ciuili de Nerua filio legimus, qui de iure respondit publicè, cùm vix decimumseptimum ætatis annum absoluisset [a]. Quod etiam Celsum Iureconsultum fecisse in sua adolescentia scriptum est [b], quorum responsa [c] legis autoritatem præ se ferebant. Contrà verò, si aliquis sit ingrauescentis ætatis senex, in quo mentis vires & animi industria suis rebus malè gestis deficiant, aut qui vita turpi & inhonesta repuerascere videatur: non modò à functione munerum est arcendus [d], sed etiam diris execrationibus ab omni hominum cœtu expellẽdus esset. Is verius puer, quàm vir, venit appellandus. Hoc præclaro edicto voluit Princeps interesse inter Præsidales Consiliarios, & supremos illos Senatores Parlamentorum: quia sicut horum autoritas maior est, quàm Præsidalium, ita maiorem ætatem, nempe triginta annorum, vetus Regum constitutio tribuit Consiliariis supremarum Curiarum. quod canonica lege prouisum est. Maximas enim dignitates ecclesiasticas nemo potest obtinere, nisi ad metas 30. annorum [e] peruenerit. Inferiora autem ministeria & dignitates exercere possunt, qui ad 25. ætatis annum progressi sint, quorum temporum curricula Principes nostri sequuti sunt in magistratibus eligendis.

a l. j. §. initium. ff. de postul.
b l. si seruum. §. sequitur. ff. de ver. ob.
c §. responsa prudentiũ. Instit. de iur. nat. gent. & ciuil.
d Aristot. j. Eth. et per regulam oppositorũ. l. fi. § fi. ff. de legat. iij.
e c. cùm in cunctis. ext. de elect.

Qui

Qui ad hoc munus iudicandi aſſumuntur, Licentiæ gradu ſaltem debent eſſe decorati.

CAPVT V.



ETATIS maturitas ſola iudicandi munere dignos non facit. Inanis [a] eſt enim temporis curſus ad aliquid perficiẽdum, ſi aliis potentioribus cauſis adiutus non fuerit. Quinimo ſi operam peruigilem & artificium ingens non addideris, iis quæ aliquãdo nouiſti, tempus [b] ipſum obliuionem parit, quæ ſapientiæ eſt inimiciſsima[c], cum qua nihil rectum, nihílque laudabile fieri poteſt. Ideo Principes noſtri ſuis Cõſtitutionibus, præter ætatis maturitatem doctores aut Licentiatos eos eſſe volunt, quibus reipublicæ curam & adminiſtrationem commendauerunt. Studiorum autem metas ad quinquennium [d] vſque extendi placuit: quo ſpatio diligenter peracto cum maxima laboris tortura ad latus Principis, aut ad publicum regimen laudabiliter aduocãtur. Verùm quia diutius in ſcholis [e] verſatum fuiſſe minimè ſufficit, & diuerſas percurriſſe academias legentiũ, ſi violentia quadam & magno impetu laboris Iuriſprudẽtiæ verum lumen non pertigerit. quod ſine docto aliquo interprete obtineri non poteſt, nec ex ſolis libris intelligi. Teſtis eſt Cicero [f] inquiens, nullam artem literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe. Non longè abieris. Num Ius ciuile veſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quàm plurimi ſunt: doctorem tamen luménq; deſiderant. Et ne temere illud tempus in ſtudendo videantur conſumpſiſſe, in

a l. obligationum ferè. §. placet. et ibi notat. ff. de act. & oblig at. & in l. ſeruitutes. ff. de ſeruitut.
b l. peregre. ff. de acq. poſ.
c Zeno apud Ariſt. iiij. Phyſic.
d In proœ. ff. et in proœ. Inſt. & in l. Iuriſperitos. ff. de excuſa. tutor.
e gl. in l. vnicuique. C. de proxi. ſacro. ſcrin. lib. 12.
f Cicer. lib. Epiſt. famil. 7. ad Trebatium.

gradibus suscipiendis iudicio [a] ordinis Doctorum approbantur, prius quàm infulis Minerualibus incedant decorati. Et quia iudicium multorum est firmius [b], si in vnum coeant, approbatio eruditionis illorum viribus carere debet, si ad tentandum studia promouendi potiores septem [c] in locum præscriptũ conuenerint. Quòd si aliquis scholaris tam insignis sit eruditionis, vt notoriè cõstet, eum longè superare scientiis & facundia Doctorellos seculi nostri, minimè inficias irem, cum eo per sedem principalem posse dispensari, vt Doctoribus [d] titulo tenus [e] præmiis & honoribus anteponendus esset. Siquidẽ hæc studiorum experimenta [f] fiunt propter obscuritatẽ nominis illius, de cuius eruditione ambigitur: cuius vires si haberemus perspicuas, ad experimentũ confugere [g] esset vanum. Satis dolere non possum nostræ ætatis vicem & infortunium, quòd ad id tempus infelix sumus adducti, quo aurum & argentum, & magna alia munera publicos legum professores corrumpunt: qui coquos & gladiatores, nec non luxuriosos quosdam indignè exornant insignibus titulis vel Doctoratus, vel Licentiæ, qui locum non haberent fortasse in sentina. Studiosi autem literarum amatores cùm egestate presi ad eam laudem non posint peruenire, cum sua prudentia ignominiosè torpescunt, & eorum optima studia propter illorum insatiabilem philargyriam rebus publicis nunquam profutura sint. Vnde fit, vt in publicis administrationibus magnis quibusdam pecoribus viri religiosi, & studio veræ sapientiæ dediti, posthabiti

[a] *l. magistros. C. de professo. & med. lib. x. et l. nemini. C. de Aduoc. diuers. iudic.*
[b] *c. Prudentiam. ext. de offic. & potest. iud.*
[c] *l. si quis in archiatri. C. de profess. et med. lib. x. et ibi Bart.*
[d] *glos. in l. j. C. de annon. ciuil. lib. xj.*
[e] *glo. in Can. qui Episcopus. xxiij. distinct.*
[f] *d. Can. qui Episcopus.*
[g] *l. j. §. j. ff. de actio. empt.*

habiti ſint. Cæterùm emeriti profeſſores iuris apud vulgus imperitum ſunt in maximo riſu,& ludibrio, poſtquam in hoc gradu obtinendo nihil intereſt inter hebetes & effœminatos, & eos qui rerum pulcherrimarum ſcientia bonam partem ætatis contriuerunt. Sed huic publico malo ſolus Princeps mederi poteſt,ſi legem promulgauerit vetantem ne iuris ſcholarum Anteceſſores obolum quidem accipiant:ſed gratis,& mercede nulla allecti,de re literaria bene meritis hanc poſtremam coronã,tanquam cõſummatæ doctrinæ gloriã, porrigant. Et ne aſsiduæ publicè legentiũ exercitationes legitimo quæſtu careant,& præmio iuſti laboris,longè accommodatius eſſet, ex publico dignum & competens ſalarium præſcribere, ne tãtam gradus dignitatem venundare pateretur cum ſummo periculo literarum & reipub.incommodo.

Præſidales Conſiliarij iudices eſſe debent controuerſiarum, quæ mouentur ſuper rebus fiſcalibus, aut dominicis ipſius Principis,quæ in Burello tractantur.

CVPVT. VI.

VETVS & nõ inuſitata quæſtio in foro Præſidali voluitur, num ipſi Conſiliarii litium debeant eſſe participes, quæ de Principis dommínio inter priuatos exortæ ſunt.Quæ dubitatio multis annis iudicibus inter ſe peperit mutuas rixas,cùm de propriis cõmodis diſceptaretur. Seneſcalli,& Bailliui,qui in ordine primas obtinẽt, notionem ad ſe pertinere tantùm, contendunt, præſente

Procuratore Cæſaris [a], necnō patrono fiſci. Et quòd deciſi● cauſarum ſuper rebus dominicis & fiſcalibus non ſpectet pleno iure ad Præſidem prouinciæ, ſed ad Procuratorem Cæſaris, & Virum rationalem [b], multæ extant Imperatorum Conſtitutiones: licet inconſulto Præſide prouinciæ in hoc genere quæſtionum nihil ſit definiendum. Huiuſmodi quæſtiones, quæ ſuboriuntur inter priuatum & Principem, ab alio non debent decidi, quàm à Procuratore Cæſaris [c]. Et ita Feneſtella, optimus antiquitatis autor, cenſuit. Et licet res Principis, velut priuatæ & propriæ ipſius cenſeantur, alius tamen iudex eſſe debet priuatarum quæſtionum, & alius fiſcalium, quæ ſunt propriæ ipſius Principis: in quibus ſi quiſpiam aliquid faciat, nequaquam opus eſt interdicto. Sed ſi fortè de his rebus dominicis ſit controuerſia, Præfecti eorum iudices erunt, vt Vlpianus reſpondit [d]. Tales Præfectos Accurſius interpretatus eſt Cæſaris procuratores [e]. Ego tamen potius exiſtimauerim eos eſſe Rationales, id eſt Generales prouinciarū, qui in re numaria ipſius Principis Præfecti ſunt [f]: apud quos ſinguli tributorum exactores rationes coguntur reddere. Cui officio & dignitati eſt præfectus in hac ampliſſima prouincia Dominus Chetdubien, homo excellenti ingenio & magna ſagacitate præditus. His fortè rationibus perculſi Seneſcalli aut Bailliui, ſibi vſurpauerunt notionem controuerſiarum ſuper rebus fiſcalibus, ordine Conſiliariorum ſpreto. Quorum error inextricabilis eſt, & maximè

a *l.ij.C.ſi aduerſus fiſcū.*

b *l.ad fiſcū. & l.ij.C.vbi cauſæ fiſcal.*

c *Feneſtella in titu. de offic. Procur. Cæſaris.*

d *l.ij.§.hoc interdictum. ff. ne quid in loco publ.*

e *Accur. in d.l.ij.§.hoc interdictū.*

f *l. apud Fiſcum. C. vbi cauſæ fiſcales.*

maximè iniurius Principi,& toti choro Aſſeſſorum. Nam Princeps ipſe hoc præclaro edicto[a] Parlamẽtis reſeruauit cauſas fiſcales & dominicas, & eas reliquit in ordinaria iuriſdictione Bailliuorum & Seneſcallorum, cuius ſunt iudices[b] omnes Conſiliarij huius ordinis. Nihil igitur vetat, quò minus ipſi cognoſcãt de rebus fiſcalibus & dominicis. Siquidem ipſi iudicant omnes lites aut in prima, aut ſecunda ſerie, quarum appellationes ad Parlamenta deferũtur. Et id ſatis explicant verba edicti, quibus eſt cautum, ipſos Conſiliarios cognituros de litibus nõ excedentibus quantitatem bis centum quinquaginta librarum, appellatione remota, præter quàm de rebus dominicis. Voluit igitur eos iudicare de rebus dominicis, non denegato prouocationis auxilio, ſed ordinariè, & id ſuadente regula exceptionis[c]. Cæterùm nónne cauſæ fiſcales & dominicæ pertractandæ ſunt apud Procuratorẽ Cæſaris, cum Præſide prouinciæ[d]? qui eſt Seneſcallus aut Bailliuus (vt vulgò fertur[e]) cuius membra ſunt Conſiliarij ipſi, & horum caput & Præſes[f] eſt ipſe Bailliuus, aut Seneſcallus. In nulla igitur lite definienda poterit præeſſe Seneſcallus aut Bailliuus, niſi aſsidente choro Conſiliariorũ. Alioqui horrendum eſſet monſtrum, quòd membra eſſent à capite ſeiuncta[g]. Deinde ſenatuſconſulto eſt deciſum, cauſas fiſcales & dominicas eodẽ iure eſſe terminandas[h], quo iure priuatorum negotia finem accipere debent. Nec voluerunt Principes ius diuerſum eſſe ſtatuendum in fiſcalibus & priuatis controuerſiis. Rationi ideo cõſentaneum erit, ſi eodem ſub

a Verba edicti circa principium.

b Lege verba edicti.

c l. nã quod liquidè. §. fi. ff. de penu lega. Bart. in l. j. ff. de regu. iur.

d d. l. ij. C. ſi aduerſ. fiſcũ.

e De hoc diximus c. j.

f l. ſi eadẽ. ff. de offi. aſſeſſor.

g c. cùm non liceat. extrà de reſcript.

h l. item veniunt. §. ait Senatus. in verſi. in priuatorũ. ff. de petit. hæredi.

tribunali ab iisdem iudicibus hæ disceptationes inter fiscum & priuatum exorientes, debito iure finiantur. Alioquin Princeps paruifaceret suum patrimonium[a], nisi eodem consilio & electorum prudentia ex iam dicto patrimonio ortas difficultates expediendas suo sacro edicto curasset: quippe cùm ante creationem Curiarum Præsidalium omnes ordinarij magistratus in decisione causarum fiscalium assidebant Præsidi prouinciæ. Multò igitur magis gratum erit Principi, de suo patrimonio definitum iudicium, quod constabit deliberatione Consiliariorum, à quibus ille voluit ordinarios magistratus scientia & dignitate superari. Omnium enim magistratuum iudiciúmve longè interest rem Principis saluã esse[b]. Nec longè aberit à vero, qui illos Præsidales iudices titulo magistratus donauerit, vt quos Princeps cohonestandos tribus amplissimis nominibus censuit[c], videlicet Magistratus, Iudicis, & Consiliarij. Igitur Principis lites cum priuatis motæ à Præsidalibus magistratibus & Cõsiliariis tantùm sunt iudicandæ.


a *Argu. c. intellecto. ext. de iureiurand.*

b *In c. vnico. de form. fidel. in Vsib. feudo. & in §. 1. in Auth, quid præst. ab eo.*

c *In verbo edicti.*

Num de his Consiliariis Curiarum Præsidalium hæc nomina Iudex, Magistratus, & Consiliarius verè prædicentur.

CAPVT VII.



QVAMVIS venustate nominum proprietates rerum non illustrentur[d]: (quin potius vsu comparatum est, voces leniores paulatim reddi dignitate rerum significatarum, licet ipsa pronuntiatione videantur parum suaues

d *Notat. in l. vnica. C. de mutat. nomi.*

suaues: cùm[a] vocabula sint gratia rerum inuenta: res autem non sunt à natura procreatæ propter elegantiam verborum) mali tamen exempli nõ est[b], homini inditum esse nomen pulchrum & elegans, vt sit quædam & nominum & rerum consona proportio. Ideo Principis beneficentia amplissimæ illæ voces, nouis illis Cõsiliariis attributæ sunt. Plenæ enim sunt rerum & mysterij: & ea ratione sunt datæ, vt taliũ vocum crebra prolatione incitati[c] suæ functionis sint memores; & verè dicantur propter optimum exemplum, & peruigilem curam, quales eos oportere esse[d] ipsæ voces luculenter demonstrant. Nec dubium est, Regem hos titulos nominum magistratibus à se creatis potuisse largiri, qui omnis profanæ iurisdictionis[e] fons est irriguus, & perennis. Postquã Iudicum, Magistratuum, & Consiliariorum munera per eos exerceri placuit, cur nominum appellationes denegari debeant, non facilè ipse perspicio. In hoc enim ordine magistratuum vnus non est magis iudex, quàm alius, postquam cõmuni omnium[f] cõsensu & concordia, aut maioris partis, lites dirimuntur: licet ex his vnus in gradu sublimiori sit positus, cuius grauitatem[g] & prudentiam, tanquam ducis cuiusdam normam, alios sequi oporteat. Ratio tamen, qua per Principem sancitum est, eos nomine Iudicis nuncupandos esse, est, quòd Iudex ille, qui locum principem obtinet sacris Regum Constitutionibus in decidendo, teneatur iudicare conformiter opinioni & consilio[h] potioris partis. Sunt igitur muneris iudicandi participes: alioquin illum prima-

a Accur. in l. Labeo. ff. de supellecti le leg. & nota. in l. si quis in fundi vocabulo. ff. de lega. j.

b l. facta. §. si sub conditione. circa fin. ff. ad Trebellianum.

c Accur. in l. fi. in fin. in verb. nam solã. ff. ad municipal.

d In Can. si cupis esse, quod diceris. xvj. quæst. j.

e l. j. ff. de Cõsti. Princi. & ibi Doctores.

f Cõstat ex Regiis Cõsti.

g In c. in apibus. vij. q. j.

h Argu. l. quod maior. ff. ad munici.

rium iudicem[a] eorum ſententias pedibus ſequi non oporteret. Blaſphemiæ igitur ſcelere nefandiſsimo[b] non vacant, tanquam dubitantes de regia poteſtate, qui hæc tria nomina in ipſis Conſiliariis impudentiſſimè faſtidiunt.

a l.Meuij. & l.quidã. §. Papinianus. ff. de administr. & peric.tut.
b l.ij. de crimi. ſacrileg.

Vtrùm in pompis ſolennibus, aut publicis locis Ordinarij Magiſtratus, qui ſunt Iudices primarum inſtantiarum, antecedere debeant Cõſiliarios Præſidales, nécne.

CAPVT VIII.



PLENAM ambitionis[c] & ſuperbiæ quæſtionem patefacere operæpretium eſſe duxi, quam fortaſſe conuicia & pugnæ in quibuſdã ciuitatibus audaciſsimè explicuerunt: videlicet an Ordinarij iudices primos accubitus[d] in menſis, & ſedes præcipuas in publicis locis obtinere debeant, eos ſequentibus Conſiliariis Curiarum Seneſcalliæ aut Bailliuiæ: cuius anteceſſus hæc ſunt argumenta: primùm quòd Ordinarij iudices[e] ſunt primi litium & cauſarum: Bailliuorum autem & Seneſcallorum Conſiliarij ſecundi ſunt iudices, poſt illos primos alteras ſententias ferentes. Debent igitur in ſecundo gradu dignitatis poſt illos poſiti eſſe. Item antiquior eſt ordinariorum creatio, quàm eorum qui erecti ſunt ad iudicandum in Seneſcallia aut Bailliuia. Iuſtè igitur his ratione[f] antiquitatis in fruendis honoribus veniunt anteferendi. Cæterùm in confeſſo eſt, quàm ſint ordinaria[g] extraordinariis præſtantiora. Primi illi iudices ordinariam iuriſdictionem exercent: illi autem potiſsimùm

c l. ambitioſa. ff. de decret. ab ordi. facien. vide Budæ. in l. ſi bene collocatæ. ff. de vſur.
d In Euang. Matthæi.
e Arg. l. ex hoc iure. ff. de iuſti. & iure.
f l. in finalibus. ff. fin. regund. & in l. ſemper. ff. de iur. immunit. & in l.j. ff. de alb. ſcriben.
g l. in cauſæ. ff. de minori. xxv. ann.

extra

extraordinaria pronuntiant. Quantò igitur extraordinariis illa habentur digniora, tantò præstantior est gradus iudicum ordinariorum præfectura Consiliariorum. Stulta [a] est hæc quæstio & indigna peritorum auribus. Quin potius in cæca rerum imperitia versantur, qui in dubium rem per se claram reuocant. Tam obscœnus est error, ac si dicerent, terram igni [b] esse altiorem, quæ est vltimum elementorum. Minimè ibunt inficias, ordinarij iudicis sententiam ab illis quandoque posse reformari [c]. Quinimo, si placitum fuerit, eos ab illis grauissima affici [d] mulcta, si litem suam dolo vel aperta ignorantia fecerint. Deinceps Bailliuorum Curia supremis Parlamentorum Decuriis est vno gradu propinquior, quàm classis ordinariè iudicantium. Quātò enim [e] quid ad summum plus accedit, eò magis perfectum dici debet. Cæterùm [f] eam perspicimus proportionem ordinariorum iudicum ad Bailliuos aut Senescallos, qualis est Bailliuorum ad Curias omnino supremas, cùm in medio ambarum classium sint positi. Proinde vt à communi sensu penitus esset alienum, affirmare, Parlamentorum Consiliarios in ordine dignitatis Senescallis fuisse postponendos: ita ridicula est profectò illorum opinio, qui contendunt in potiori gradu dignitatis ordinarios iudices collocandos esse, quàm Bailliuos, aut Senescallos, aut Consiliarios eorum. Demum Bailliui & Senescalli vitæ & necis habent potestatem, tam priuilegiatorum, quàm priuilegio carentium, & in delictis quibusdam [g] atrocioribus appellatione ad Parla-

a l. Domitius Labeo. ff. de test.

b Argu. l. j. §. si in verb. semper inferiorem superiori seruire. ff. de aq. plu.

c l. j. ff. de appel.

d l. si iudex. ff. de var. & extraord. cognit. in tit. C. de pœn. iudi. qui malè iud.

e Bart. l. imperium. ff. de iurisdict.

f Per locum à proportione rationum, in omni genere discipl. receptum.

g Cōstat nobis edictis Regis.

mentum remota: quod nequaquam ordinariis iudicibus à Principe eſt conceſſum. Quid ad hanc dignitatem [a] melius addi poteſt? In quo igitur ordinaria Iuriſdictio huic mediæ claſsi Bailliuorum eſt conferenda? Certè in nulla parte iuris tam temere excogitata opinio defendi poteſt.

a l. j. ff. à quib. appel. non eſt.

Vtrùm ſyncope criminalium & ciuilium magiſtratuum ſit iuſta.

CAPVT IX.



MAGNA creſcente litium ciuilium ſerie, quibus longæui hominis ætas vix ſufficiebat, à Principe decretum eſt, alium fore iudicem primarium ciuilium controuerſiarum, alium quoque maleficiorum: quod olim à pop. Roma. adminiſtrante imperium fuiſſe obſeruatum Pomponius ſcripſit [b]. Nam cùm maxima fuiſſent negotia Conſulum, & varia ferè per totum orbem, de capite ciuis Romani iniuſſu populi dicere ius non poterant: ideo conſtituit Quæſtores, qui capitalibus rebus præeſſent. Item poſterioribus temporibus, cum per Italiam magnis incurſibus latrones graſſarentur, magiſtratus creatus eſt nomine Latrunculator [c], qui de capite latronum ius tantùm diceret, interdicta pecuniariæ litis cognitione. Cuius in loco hodie quis verius dixerit eſſe Mareſcallos. Eadem ſanè [d] ratione impulſus fuit Princeps ad ſyncopen criminalis iuriſdictionis, quæ ipſum commouit, vt ſupremam poteſtatem decerneret Præſidalibus in certo cauſarum genere. Nam cùm videret

b l. ij. § iiſdem temporibus. vſq. et quia, vt diximus. ff. de orig. iur.

c l. ſolennis. §. latrunculator. ff. de iudic.

d l. illud. ff. ad legē Aquil.

ret decurias Parlamentorum minimè ſufficere infinitis aceruis ſacculorum, præcluſit (vt antè reſeratum eſt) viam friuolis & inanibus appellationibus: præſertim in minimis cauſis, vt iret obuiam [a] malitiis hominum, & impoſturis litigatorum. Ita maiores iudices Bailliuorum, cùm eſſent obruti cauſarum multitudine, explere non poterant ſuum munus ex animo, tam in ciuilibus negotiis, quàm in animaduertendo in homines facinoroſos. Idcirco vtiliter generi hominum ab illis criminalem notionem tranſtulit ad iudices maleficiorum. Vix enim fieri poteſt, aut non [b] facilè fit, vt quis fungatur vice duarum perſonarum. Noluit igitur Princeps promiſcuis [c] actibus ſuorum magiſtratuum turbari officia. Alias [d] enim leges, alia tempora & obſeruationes ſolennitatum ſpeculari oportet in ciuilibus, & alias in puniendis maleficiis. Idcirco diuerſos eorum eſſe iudices, rectè congruere illi ſanctiſsimè viſum fuit. Ex illo promiſcuo officiorum vſu eueniebat, vt criminibus conuictos [e] non velox, ſed tarda pœna ſubduceret, aut liberandos pro ſua innocentia diuturna cuſtodia, in latumiis forſan abditiſsimis, maceraret, ita vt carcere, qui cuſtodiæ cauſa eſt ſacratus, propter ciuiles eorum occupationes ad pœnam [f] inuentus eſſe videretur, aut ſi burſalis [g] & quæſtuoſa eſſet alicuius ardui criminis inquiſitio, amore lucri maleficio inueſtigando dabant operam, & ciuiles hominum diſſenſiones, & reliqua forenſia negotia in æuum perpetuum protelabantur [h], cum magno iuſtè litigantium incommodo. Satis igitur

a l. in fundo. ff. de rei vendic.

b l. ſi plures. ff. de pact.

c l. conſulta diualia. C. de teſtam.

d l. pen. §. ad crimē. ff. de publ. iudi. & l. fin. ff. de dilat.

e l. fin. C. de cuſtod. reor.

f l. aut dānū. §. ſolent. ff. de pœnis.

g Salice. in rub. C. qui ac cuſa. poſſ.

h Contra l. properandū. C. de iudic.

laudari non posset hæc distinctio magistratuum saluberrima.

Uter alteri in honoribus & pompis publicis sit præferendus, an criminalis iudex ciuili, an ciuilis criminali.

CAPVT X.



MALAE quæstiones semper se offerunt nobis, & iurgiis ambitiosis incensæ. Exoritur dubitatio de honorabili antecessu iudicũ. Criminalis iudex gloria inflatus stat, clariorem dignitatem suo officio iniunctam esse audacter asseuerans: nempe quòd mero putatur imperio in animaduersione improborum hominum: ciuilis autem simplicem exerceat iurisdictionem tantùm, aut mistum imperium propter modicam coërcitionem sibi competentem. Merum enim imperium in scala[a] graduum locum principem sibi vendicauit. Ambigendum igitur non est, locum potiorem esse tribuendum criminali propter maioris suæ iurisdictionis exercitationem. Proinde ille notionem habet πραγμάτων, id est, rerum: hic verò προσώπων, id est personarum. Personæ autem rebus sunt longè præstantiores[b]. Magis igitur honorandus est Magistratus maleficiorum, quàm ciuilis. Cæterùm criminalis ille in castigandis malorum prauis affectionibus Ethicen optimam partem Philosophiæ pertractat, cùm pœnarum exemplo mali terreantur[c], & boni ad virtutis augmentum procedant alacriores. Ciuiles verò iudices circa œconomicæ partes tantùm

a l. imperiũ. ff. de iurisdi. omni. iud. & ibi. Doct.

b Can. præcipimus. xij. q. ij. §. j. Instit. de rer. diuis.

c l. aut facta. §. fin. ff. de pœn.

vers

versantur, cùm iura reddant [a] de familiaribus negotiis, quæ intra ædes & extra geruntur. Oeconomica verò, altera pars Philosophiæ, primæ illi sapientiæ iure optimo subiicitur, quæ omnium [b] disciplinarũ Princeps & regina meritò est habenda. Nec maiorem hanc dignitatem & excellentiam perturbat, si opponatur, ciuilem illum iudicem in maiore parte suarum causarum hoc nouissimo edicto esse supremum, appellatione remota [c]: quia potestatem ferè eandem posteriori edicto à Principe iudices criminales sunt sortiti, qui prauitate hæretica [d] conuictos flammis viuos absorbẽt: & monetarios adulterinos feruenti oleo supponũt: sacrilegos & itinerum grassatores vltimo damnant supplicio, penitus appellatione remota. Et ita Principi nostro placuit. Si supremus ille existit in iudicando, hic in maximis illis delictis Parlamentorum censuræ nõ est obnoxius. Parem enim habet cum ipso potestatem in iis quatuor maleficiis exterminandis. Minuenda est hæc opinio: nec satis roboris & energiæ habent antecedentia argumẽta. Quin potius ipse potiorem honorem ciuili iudici esse decernendum existimauerim, & eum ducem esse oportere in omni caterua publici conuentus. Nam criminalis & ciuilis iudices in pari gradu vicarij sunt Bailliuorum aut Senescallorum primas obtinentium. Atqui ciuilis iudicis creatio longè antecedit criminalis magistratus originem, & nouam creationem: ideo in genere eodem [e] functionis, ciuilis criminalem antecedet: quia immediatè vterque Bailliuum aut Senescallum sequitur. Anti-

a §.altera. Instit. de inutil. stipul.

b Aristot. j. Ethic.

c l. j. ff. à quib. appela. non licet.

d Constat edicto regio.

e l. j. ff. de alb. scribẽ. l. j. C. de Cons. lib. ij.

quitati [a] meritò est cedendum. Item si exercitio aut occupationi aliquãtum gloriæ & laudis concedendum sit, longè vberiora negotia & accumulatius suppetũt actiones ciuili, quàm criminali iudici. Cõtractus enim frequentius celebrantur, quàm delicta committãtur. Igitur propter occupationes [b] crebras ciuilis in primo ordine sedere debet, altero subsequente. Cæterùm monumenta & vestigia pristinæ vtriusque Iurisdictionis coniunctæ in eo supersunt. Igitur est illi anteponẽdus propter memoriã luctuosam [c] amissi criminalis imperij. Adde, si lubet, quòd criminalis iurisdictionis exercitatio [d] odiosa est & plena mœroris propter pœnale seueritatis iudiciũ. Quare illius gloria restringi debet. Vide quàm sit carnifex detestabilis, qui sententia damnatos morte [e] afficit: à quo criminalis iudex parum abesse videtur formidolosis hominibus, qui præsente iudice maleficiorum, quamuis non sit crudelis, ferè [f] exangues præ nimio metu deficiunt, & titubant loquentes. Nec enim veris laudibus illum possunt honorare, cuius autoritas orta est ad effundendum sanguinem hominis, etiamsi iustè pœnam sit promeritus. Magistratus hic criminalis in subsidium ciuilis iudicis à Rege inuentus est: quia si potuisset ambobus generibus iurisdictionis vti, minimè merum imperium ab eo abstulisset: quia exercitio vtriusque iurisdictionis fuisset seruatus. Concludamus igitur, ciuilem iurisdictionem cumulatiori honore esse laudandam, quàm criminalem.

a l. semper. ff. de iur. immunit. & l. in finalibus. ff. fin. regũd.

b l. ij. §. fin. argum. illius text. & ibi Accurs. ff. de verb. sig.

c l. fi. C. de instit. & substitut. l. iure succursum est. ff. de iur. dot.

d l. interpretatio. ff. de pœn. l. cũ quidam. ff. de liber. et posth.

e Vide Bar. in l. fi. §. fi. ff. de pign. act.

f Cano: crudelis non est. xxiij. q. v.

Utrùm principalis Locumtenens, absente iudice maiore, debeat in honoribus iudici criminali præferri.

CAPVT XI.

PERSPICVE satis demonstratum est, ciuilem iudicem, primarium vulgò appellatũ, anteferri debere criminali Suppræfecto principali, quem Locumtenentem appellant. Aliquos tamen dubitasse memini. Quòd si absens fuerit Primarius ille iudex, certi iuris est, illũ Supræfectum, eo abeunte de ciuitate, ciuilem iustitiã, tanquam caput & principem, cum consilio assessorum pertractare. Subintrat [a] igitur in locum Primarij iudicis. Ergo vt ciuilis iudex criminali dignior est, ita illo absente, tãquam subrogatus, criminalem honorum præeminentia debet vincere. Nam ante criminalis creationem, absente Primario iudice, nullus erat in ciuitate dignior Locumtenente, secundùm Bailliuos aut Senescallos. Ego tamen contrà putauerim, Iudices maleficiorum Supræfectis Senescallorum, post maiores iudices, esse anteponendos. Siquidem iuris est explorati, criminalem magistratum in decisione maleficiorum longè esse superiorem Supræfecto locum tenente. Absurdum igitur & à ratione alienum esset, in ciuilibus [b] illum esse superiorem criminali iudice, qui illi in delictis coërcendis esset semper anteponẽdus: & ita eueniret, eundem [c] esse inferiorem & superiorem respectu eiusdẽ personæ: quod in nullo genere disciplinarum sustineri posset. Item ridiculum esset, criminalem, præ-

a l. si cũ. §. qui iniuriarum. ff. si quis caut. non obtempe. Vide Bar. in l. j. §. hæc actio. ff. si quis testamẽ. liber esse iuss. fuer.

b Arg. l. cũ quæritur. ff. de statu hom.

c In rubri. ext. de magist. & l. præceptoris. ff. ad leg. Aqu.

ſente Primario iudice, eſſe in maiori dignitate collocatum, quàm Supprœfectum locumtenentem, & illo abſente[a] Supprœfectum Criminali eſſe maiorem. Ordo enim dignitatum hac ratione peſſum [b] iret in confuſionem omnium magiſtratuum.

a Arg. l. eū qui ædes. ff. de vſucap.
b l. j. C. de Conſſ. lib. xij.

Vtrius autoritate debeat fieri proclamatio publica, aut interdicta prohibitoria ne quid fiat, vnde poſſet delictum naſci, an ciuilis, an criminalis iudicis.

CAPVT XII.



IVDEX criminū cuiuſlibet ſceleris, prohibitionem ſuæ iuriſdictioni competere arbitratus eſt, quemadmodum & animaduerſionem: quia cùm ſit maleficiorū vindex[c] & ſeuerus vltor, ideo hominum improbitati futuræ obuiam ire, ſuarum partium eſſe exiſtimauit[d]: quod per publicam proclamationem aut prohibitorium interdictū poterit fieri: quia naſcentis delicti iuriſdictionē à Principe obtinuit: ideóque de cauſis[e] poterit cognoſcere, vnde naſcuntur mala. Publicas itaque ſaltatorum[f] turbas, aut hiſtrionū impudiciſsimos actus, necnō ſpectacula laruatorū[g] perniciosiſsima ſolus poterit prohibere, vnde malorum congeries naſcitur infinita. Cui enim conſequens datū eſt, omnia ſunt permiſſa antecedentia[h], ſine quibus illud nequit conſiſtere. Abſurdum quoque eſſet, alium eſſe iudicē, qui prauum actum prohibuerit, & alium eſſe magiſtratum, cuius autoritate delinquens pœnas daret legitimas. Hac enim ratione delicti continentia[i] ſcinderetur. Videamus

quare

c Apoſt. ca. xiij. ad Rom. & in d. l. imperium.
d l. in fundo. ff. de rei vēd. l. æquiſsimū. ff. de vſufr.
e l. ij. ff. de iuriſd. om. iud.
f l. j. ff. de colleg. illicit.
g l. mimæ. C. de Epiſcopal. aud.
h l. ad rem mobilē. C. de procurat.
i l. nulli. C. de iudic.

quare ille pœnas ſtatutas à lege delinquentibus declaret. certè non vt damna delictis illata resarciantur, (quod fieri non poteſt) ſed vt alij exemplo ſuppliciorum [a] perterriti ad inferendam iniuriam, aut ad ſimilia edicta ſint minùs audaces. Vetare igitur malos actus poterit ante natiuitatem delictorum. Siquidem prohibitio talis actus, & indictio pœnarum, ad impediēda delicta noſtro iure inuenta ſunt. Laudabilius enim eſt, futuris malis obuiam [b] ire, quàm poſt illata vulnera remedium quærere. Nec debet ſtupere lector, quòd criminalis iudex eſſe non debet ante originem delicti. quod verum eſt, ſed ita eſt intelligendum, quantum ad pœnam infligendam, non autem ad prohibendum actum, qui eſt ex ſe malus, aut ex quo neceſsitate naturæ delictum oriri poteſt. Secus autem ſi per accidens, aut παρὰ προσδοκίαν, & præter intentionem ſcandali immineret periculum: Cuius actus prohibitionem verius crediderim eſſe de notione iudicis primarij [c], non autem criminalis: & ita puto omnia antecedentia & conſequentia alicuius criminis pertinere ad iuriſdictionem illius iudicis, qui de eo crimine eſt pronuntiaturus.

a d.l.aut facta.§.fin.ff. de pœnis. & Cicero j.offi.

b l.fina.C.in quib.cauſ.in integr.reſtit. non eſt neceſ.

c. d.l.æquiſſimum, & l. qui reſtituere.ff.de rei ven.

Utrùm iudices Præſidales, appellatione remota pronuntient de criminibus incidentibus cauſæ ciuili, in cuius deciſione appellationi deferre minimè conſueuerunt.

CAPVT XIII.



SVBORTA eſt diſcordia inter Curias ſupremas Parlamentorum, & Præſidales, de iuriſdictione criminum, quæ ciuilibus controuerſiis incidunt. Harũ iudices

præſumpſerunt, grauiſsimis perculſi rationibus, de his criminibus, quæ incidunt, iudicare appellatione remota, ſicut de principali ciuili, vt omnium[a] dependentium tales ſint deciſores, quales ſunt principalium quæſtionum, à quibus illa dependẽt. Alioquin cauſarum catena [b] & connexus diuideretur: quod ab omni iudiciorum praxi abhorret. Nam ſi de criminibus ſic emergentibus, interiectæ appellationi pareant, illi ſupremi de his criminibus cognoſcere accurratè non poterũt, niſi inſpectis meritis & qualitatibus ciuilis quæſtionis, & ita quidem, propter continentiam [c] litis, cauſæ ciuilis ſeriem non poterunt perſcrutari, quæ ab illis ſupremo iudicio eſt definita. Et ita alterum è duobus neceſſe eſt euenire, aut quòd Parlamenta obſcurè de his delictis iudicabunt, veritate non planè cognita: aut ipſa obiter & perfunctoriè de his litibus pronũtiabunt, quas Præſidales appellatione remota deciderũt: & ſic poſthabita Principis volũtate, tam præclarum edictũ eludetur [d]. Tergiuerſator enim & impoſtor malignus[e] protelandæ litis gratia conabitur ciuili negotio delictum aliquod coaceruare, vt occaſione criminis, ciuilis illa diſceptatio in longinquam prouinciam, vbi eſt Parlamentum, deferatur. Morandæ enim ſolutionis[f] gratia inextricabiles nodi debitores inuoluunt. Cæterùm imperiali lege ſancitum eſt [g], ciuilem quæſtionem cum incidente criminali eiuſdem ſententiæ finibus eſſe terminandam. Abſurdum igitur eſſet, eandem ſententiam eſſe ſupremam ratione ciuilis cauſæ, & ſubalternam aut inferiorem propter crimen

a l. quoties. C. de iudic.

b l. nulli. C. de iudic.

c d. l. nulli. & argu. l. j. ff. de ori. iur.

d l. ſi Prætor. ff. de iud.

e l. ſatis apertè. C. de falſ.

f d. l. ſatis apertè.

g l. pen. C. de ord. cogn.

crimen emergens, cùm nihil ſit diuerſo iure [a] cenſendum. Deinceps eſt tanta connexio & affinitas principalis negotij & criminis incidentis, vt ſi aliquis ſit iudex in principali [b] competens, de incidenti negotio poterit cognoſcere, de quo notionem habere principaliter non poſſet: & id quidem propter coniunctionem rerum natura differentium. In conſequentiam enim principalis negotij res ex ſe inhabiles ciuilem diſpoſitionem congruentiſsimè ſuſcipiunt [c], & non ſortiuntur naturam à principali differentem. Inanis profectò eſſet eorum iuriſdictio, ſi carerent [d] coërcitione in delinquentes circa ciuiles quæſtiones, aut in eos qui autoritatem illorum contemnunt, cùm pœnali iudicio illos poſsint caſtigare [e]. Hac ratione ſequens eſſet, criminalem ciuili, & non ciuilẽ criminali magno [f] eſſe præiudicio: quod nequaquam tamen fieri debet. Nuper tamen à Curiis ſupremis reſcriptum impetratum eſt, quo Princeps declarauit, nunquàm ſe habuiſſe in animo, vt Præſidales crimina emergentia deciderent, appellatione remota: ſed voluit iura antiqua eſſe ſeruanda in criminalibus, tam principaliter, quàm incidẽter motis: videlicet vt damnatis quacunque ſpecie criminis, ad ipſas Curias ſupremas prouocare minimè denegetur. In edicto bis centum quinquaginta librarum Princeps nullum addidit verbum de emergentia iſtorum criminum. Ideo illorum iudicia voluit tractari iure [g] communi obſeruato, quod appellationes patiebatur quaruncunque cauſarum: & maximè cùm nihil habeant commune delicta

a l.eum qui ædes. ff. de vſucap.
b d.l.quoties. C.de iud.
c c.ex literis.ext.de iu. patron. et in l.quædam.de acquir. rerũ domi.
d l.fi.de off. eius cui mãd.
e l.vnic.ff.ſi quis ius dic. non obtemp. & in l.vnica.C.quand. ciuil. criminal.præiud.
f d.l.vnica. quand.ciuil. actio criminal.præiudicet.
g l.ſi extraneus.ff.de cõdictio. cauſ. dat.cau.non ſeq. & in l. ſancimus. C. de teſtam.

cum contractibus. Aliter Parlamenta amisissent bonam partem accusationum criminalium. Siquidem procacissimi homines ad delinquendum inflammati sunt occasione alicuius litis ciuilis. In hac discordia sedanda Princeps secutus est Papale Decretum, quod constituit [a], vt si petitione hæreditatis, coram seculari iudice motæ, natiuitatis quæstio inciderit, de ea profanus ille iudex non cognoscat, sed sit ad ecclesiasticum iudicem remittenda. Non dissimiliter præcipit Princeps faciendum, vt si ex ciuili aliquo negotio, cuius Parlamentum est incapax, crimen aliquod emerserit, ipsi Præsidales ciuile negotium remota appellatione finiant, & criminalis quæstionis supremam decisionem deferant ad Parlamenta.

a ca. lator. extr. qui fil. sint legit.

Latronum supremi sunt iudices, appellatione remota, Præsidales.

CAPVT XIIII.



AVGVSTVS Imperator [b] de pestifera latronum crudelitate ita rescripsit: Per omnes regiones, in quibus fera & periculi sui nescia, latronum feruet insania, probatissimi & districtissimi defensores adsint disciplinæ, & quotidianis actibus præsint, qui nō sināt crimina impunita coalescere, remoueāt patrocinia, quæ feruorem reis & auxiliū scelerosis impartiendo, maturari scelera fecerunt. Quietē enim publicā conturbant, & seditionibus totū orbem immiscent, & nisi magistratus eorum audaciam reprimerent, nulli domus

b l. per omnes. C. de Defensor. ciuit.

prop

propria satis tutum esset refugium. Propterea Arcadius Imperator[a] cunctis hominibus pro quiete cōmuni exercendæ publicæ vltionis tribuit facultatem. Nam si latro sit manifestus, vel seditio prærupta, factióque cruenta, aut alia iusta causa, quam mox Præses literis excusauerit, morámque non recipiat, non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi causa: tunc punire permittitur, & deinde ad Principem scribere. Et ita Vlpianus respondit.[b] Princeps autem artes exquisitas inuestigare curauit, vt suæ prouinciæ, quarum ditione potitur, pacatæ & quietæ[c] sint, & careant malis hominibus, nec non latronum incursu. Harum artium fuit accuratissima, cùm sanxit, locum nō fore appellationi, si itinerum grassatores à Præsidalibus quocunque genere supplicij per sententiam fuerint damnati: quia cùm ipsi iudices expectarent euentum appellationis, interea latrones vel fractione carcerum, aut testium[d] corruptione, vel precum importunitate emeritas pœnas eludebant: & ita crebris latronum incursibus, ad vrbes progressus parum erat frequens, nec hospes erat ab hospite tutus. Propterea debitas pœnas procrastinandas nō esse iura sanctissimè constituerunt. Nec debent grauatè ferre Parlamenta, hanc Senescallorum potestatem, quia supremam hanc iurisdictionem Latrunculatores sortiti sunt, qui serie longè breuiori in latrones animaduertunt, quàm Præsidales. Legum enim sunt peritiores, & maiorem æquitatem redolent in iudicando, quàm illi, qui præscripto iure vtuntur. Nec debent admirari nouitatem

a l. fina. C. quando lic. vnicuiq; sine iud. se vind.

b l. si quis filio exhæredato. §. hi autē omnes. ff. de iniust. rup. irrit. test.

c l. cōgruit. ff. de officio Præsid.

d Arg. l. si quis vltro. ff. de quæstion.

huius edicti, cuius æquitas ex nouissima Constitutione Constantini ferè emanauit, inquientis [a], Obseruare curabis, nequis homicidarum, veneficorum, " maleficorum, adulterorum, itémq; eorum, qui " manifestam violentiam commiserunt, " argumentis, testibus superatus, " voce etiam propria vitium, " scelúsque confessus, " audiatur ap- " pellans. "

[a] l. ij. C. quorum appella. non recipiât.

FINIS.